

sis dimensionibus partialibus, ita quod tota sub qualibet parte dimensionum, et tota sub distinctis sitibus.

Ultima (α) vero ratio Durandi non concludit; nam duo falsa assumit. Primum est, quod mixtio non potest esse similiū secundum speciem et accidentia; secundum est, quod similia secundum speciem, licet dissimilia quoad accidentia, possunt se alterare, sed non corrumpere. De his Petrus sic dicit (*ibid.*): « Quod autem dicit arguens, quod similia nullo modo se alterant, — hoc est verum per se; sed per accidens utique possunt: quia divisionem in partes minimas, quae non possunt per se stare, sequitur alteratio et corruptio saltem a continuitate; et hoc sit per mixtionem partium subinfrantium se mutuo; et ideo sequitur miscibilium alteratio. — Quod autem dicunt postea, quod dissimilia secundum qualitates possunt se alterare, non autem corrumpere, — non valet: quia alteratio magis facta abjectit a substantia (sicut major ignis corrumpit minorem ignem), vel saltem per divisionem et subinfrationem. — Et quod dicitur (β), quod mixtio est per secuspositionem partium, — non videtur. Quia, sicut in nutritione, per hoc ipso materia cibi sit sub forma nutriti, non est dicere quod distinguatur situ materia adveniens a praesistente; sed utraque est indivisibiliter commixta, quia sit una quantitas et una forma substancialis, et per consequens commixtorum. Ideo non videtur quod materia una sub alia distinguatur situ (γ); alias eodem modo miserentur arida homogenea et liquida; quod tamen ipse negat. » — Hac Petrus, et bene.

Et haec sufficiunt ad argumenta Durandi.

Ad argumentum contra questionem, negatur antecedens, pro qualibet parte. — Et ad probationem primae partis, respondet sanctus Thomas, decimateria distinctione *Quarti*, q. 1, art. 2, q^{la} 2, in solutione primi, dicens: « Quia intentio requiritur ad perfectionem sacramentorum, ideo, cum omnes habeant intentionem unam consecrationem faciendi, non est nisi una tantum consecratio. » — Hec ille. — Ad probationem vero secunda partis antecedentis, respondet duodecima distinctione, q. 4, art. 2, q^{la} 6, in solutione primi, dicens quod « Philosophus intelligit de accidente cuius subjectum est substantia, quod ei non permisetur. Sic autem non est in proposito. »

Et haec de questione dicta sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

(α) *Ultima.* — *tertia* Pr.

(β) *dicitur.* — *dicit* Pr.

(γ) a verbis *materia adveniens usque ad sotu*, om. Pr.

DISTINCTIO XIV.

QUÆSTIO I.

UTRUM SACRAMENTUM PENITENTIE POSSIT TOLLERE
CULPAM REMANENTE REATU

CIRCA decimam quartam distinctionem 4. *Sententiarum*, queritur: Utrum sacramentum penitentie possit tollere culpam, remanente reatu.

Et arguitur quod non. Quia, remota causa, removetur effectus. Sed culpa est causa reatus poena; ideo enim aliquis est dignus poena, quia culpam commisit. Ergo, remissa culpa, non potest remanere reatus poena.

In oppositum arguitur. Quia, 2. *Regum*, cap. 42 (v. 43 et 44), dicitur quod, cum David penitens dixisset ad Nathan, *Peccavi Domino*, dixit Nathan ad illum: *Dominus transiluit a te peccatum tuum, non morieris: recumtam filius qui natus est tibi, morte morietur*; quod fuit in penam precedentis peccati, ut *ibidem* dicitur. Ergo, dimissa culpa per penitentiam, remanet reatus alieuius poena.

In hac questione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: *Quod penitentia est sacramentum.*

Hanc ponit et probat sanctus Thomas, 3. p., q. 84, art. 1, ubi sic dicit: « Sicut dicit Gregorius (α) et habetur in Decretis cap. *Multi sacerdotalium*, c. 1, q. 1), *Sacramentum est in aliqua celebratione, cum res gesta ita sit, ut aliquid significative accipiamus, quod sancte (β) accipientum est*. Manifestum est autem quod in penitentia ita

(α) Haec verba non sunt Gregorii, bene vero Isidori, *Etimolog.*, lib. 6, cap. 19. Divus Thomas, post Gratianum, ea attribuit Gregorio, cum cap. *Multi sacerdotalium*, ex quo desumuntur, collectum sit partim ex sententiis Gregorii, partim ex verbis ipsis Isidori et Hieronymi.

(β) *sante.* — *sane* Pr.

res gesta fit, quod aliquid sanctum significatur, tam ex parte peccatoris penitentis, quam ex parte sacerdotis absolvientis. Nam peccator penitens, per ea que agit et dicit, ostendit eorū suū a peccato recessisse. Similiter etiam sacerdos, per ea que agit et dicit circa penitentem, significat opus Dei remittentis peccatum. Unde manifestum est quod penitentia que in Ecclesia agitur, est sacramentum. » — Hec ille.

Item, 4. *Sentent.*, dist. 44, q. 4, art. 1, in solutione prime quæstiunculae, sic dicit: « Sacramentum importat sanctitatem active, per modum qui nobis sanctificandis competit, ut scilicet adjungatur significatio sanctificationis invisibilis (2) per visibilia signa, prout nōne de sacramento loquimur. Unde ubicumque fit aliqua sanctificatio significata aliquibus sensibilibus signis, ibi est sacramentum. Et ideo, cum hoc sit in penitentia, constat quod penitentia est sacramentum. » — Hec ille.

Ex quibus patet faciliter ratio pro conclusione, arguendo sic: Ubicumque fit aliqua sanctificatio significata sensibilibus signis, ibi est sacramentum. Sed hoc est in penitentia. Ergo, etc. — Et additur huic conclusioni, quod penitentia non solum est sacramentum, sed etiam est virtus, ut post dicetur.

Secunda conclusio est quod propria materia sacramenti penitentiae sunt peccata.

Hanc ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 84, art. 2, ubi sic dicit: « Duplex est materia, scilicet proxima, et remota; sicut statim proxima materia est metallum, remota vero aqua. Dictum est autem (ibid.), art. 1, ad 1^{am} et ad 2^{am} quod proxima materia penitentiae sacramenti sunt actus penitentis, ejus materia sunt (3) peccata, de quibus dolet, et que confitetur, et pro quibus satisfacit. Unde relinquitur quod remota materia penitentiae sunt peccata, non acceptanda (4), sed destruenda et detestanda. » — Hec ille.

Item, eadem quest., art. 1, in solutione primi, sic dicit: « Nomine corporalium rerum intelliguntur large etiam ipsi exteriores actus sensibiles, qui ita se habent in hoc sacramento sicut aqua in baptismo, vel chrisma in confirmatione. Est autem attendendum quod in illis sacramentis in quibus confertur excellens gratia, que superabundat omnem facultatem humani actus, adhibetur aliqua corporalis materia exterius: sicut in baptismo, ubi fit plena remissio peccatorum, et quantum ad culpam, et quantum ad penam; et in confirmatione, ubi datur plenitudo Spiritus Sancti; et in extrema unctione, ubi datur perfecta sanitas spiritualis, que provenit ex virtute Christi, sicut ex quodam pri-

(2) significatio sanctificationis invisibilis. — sanctificationis invisibilis signo Pr.

(3) a verbo *actus* usque ad *sunt*, om. Pr.

(4) *acceptanda*. — *attemptanda* Pr.

cipio extrinseco. Unde, si qui actus humani sunt in talibus sacramentis, non sunt de essentia materie sacramentorum, sed dispositive se habent ad sacramenta. In illis autem sacramentis que habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sensibiles sunt loco materie, ut accedit in penitentia et matrimonio; sicut etiam in medicinis corporalibus, quedam sunt res exterius adhibite, sicut emplastra et electuaria, quedam vero sunt actus sanandorum, puta exercitationes quedam. » — Hec ille.

Item, q. 90, art. 4, in solutione tertii, sic dicit: « Peccata sunt materia remota penitentiae, inquantum sunt materia vel objectum humanorum actuum qui sunt propria materia penitentiae prout est sacramentum. » — Hec ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione: Quandocunque alienus sacramenti materia proxima est aliquis actus humanus exterior sensibilis, ejusdem sacramenti materia remota, tamen propria, est objectum talis actus. Sed materia proxima sacramenti penitentiae est actus humanus sensibilis, qui est confessio peccati, cuius objectum est peccatum. Ergo materia remota, tamen propria, est peccatum, quod est talis confessionis objectum.

Quod autem confessio, vel contritio, vel satisfactione, sint proxima materia sacramenti penitentiae, supra ostensum est, etc. — Et consimiliter additur huic conclusioni quod peccata sunt materia penitentiae que est virtus, ut postea videbitur, in tertio articulo, diffuse.

Tertia conclusio est quod sacramentum penitentiae quandoque tollit culpam et totum reatum; quandoque vero tollit culpam, remanente aliquo reatu.

Hanc ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 86, ad. 4, ubi sic dicit: « In peccato mortali sunt duo, scilicet aversio ab incommutabili bono, et conversio ad bonum commutabile inordinata. Ex parte ergo aversio ab incommutabili bono, consequitur peccatum mortale reatus penae aeternae, ut qui contra aeternum bonum peccavit, in aeternum puniatur. Ex parte etiam conversionis ad bonum commutabile, inquantum est inordinata, consequitur peccatum mortale reatus aliquis poena: quia inordinatio culpe non reducitur ad ordinem justitiae nisi per penam; justum est enim ut qui voluntati sue plus indulxit quam debuit, contra voluntatem suam aliquid patiatur; sic enim erit aequalitas. Unde et *Apocal.* 18 (v. 7) dicitur: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et iactum.* Quia tamen conversio ad bonum commutabile finita est, non habet ex hac parte (2) pecca-

(2) parte. — *per se* Pr.

tum mortale quod debeatur ei poena aeterna. Unde, si sit inordinata conversio ad bonum commutabile sine aversione a Deo, sicut est in peccatis venialibus, non debetur peccato poena aeterna, sed temporalis. Quando igitur per gratiam remittitur culpa, tollitur aversio animae a Deo, in quantum per gratiam anima Deo conjungitur. Unde et per consequens simul tollitur reatus poenae aeternae. Potest tamen remanere reatus alienus pene temporalis. » — Hac ille.

Item, ibidem, in solutione tertii, sic dicit: « Passio Christi de se est sufficiens ad tollendum omnem reatum poenae, non solum aeternae, sed temporalis; et secundum modum quo homo participat virtutem passionis Christi, percipit etiam absolutionem a reatu poenae. In baptismo autem totaliter homo participat virtutem passionis Christi, utpote per aquam et Spiritum Sanctum Christo commortuus peccato, et in eo (2) regeneratus ad novam vitam. Et ideo in baptismo homo consequitur virtute passionis Christi, remissionem totius reatus. Non autem in penitentia, sed solum secundum modum propriorum actuum, qui sunt materia penitentiae, sicut aqua baptismi. Et ideo non statim per primum actum penitentiae, quo remittitur culpa, solvit reatus totius poenae, sed completis omnibus penitentiae partibus. » — Hac ille.

Eamdem ponit, praesenti distinctione, q. 2, art. 4, in solutione secundae quaestione, dicens: « Secundum Philosophum, in 8. Ethicorum (cap. 7.), tam justitia quam amicitia in quadam aequalitate consistit. Qui ergo aliquem offendit, peccat contra aequalitatem amicitiae, in quantum affectum debitum non impedit; et contra aequalitatem justitiae, in quantum rem debitam subtrahit. Et sicut haec duo in offensa quandoque dividuntur, ita etiam in compensatione separantur: sicut quando offendenti pena per violentiam infertur, sic fit recompensatio quantum ad justitiam, sed non quantum ad amicitiam; similiter quando offendit offensum verbo placet, nondum re subtracta restituta, fit recompensatio amicitiae, sed non justitiae. Peccator ergo per affectum peccati amicitiam Dei violat, et per inobedientiam legis divinae honorem Deo debitum subtrahit. Et ex primo amittit gratiam, et incurrit offendit; et ex secundo meretur penam, ut ab eo qui per inobedientiam subtraxit, subtrahatur per penam. Et hoc meritum poena dicitur reatus. Et ideo (3) per penitentiam, qua homo Deo se supponit, peccata praeterita defestando eum emendationis proposito, remittitur quidem peccatum quantum ad offendit; sed non oportet quod remittatur quantum ad totum reatum, nisi pena iam persoluta. Et sic per peni-

tentiam non simul cum culpe dimissione totus reatus dimittitur. » — Hac ille.

Item, 4^a 2^e, q. 87, art. 6, probat quod reatus poenae remanet, non solum post actum peccati, immo post remissionem peccati. Et similiter, 2. Sentent., dist. 42, q. 1, art. 2, probat quod post actum peccati remanet reatus peccati.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione: Reatus peccati non tollitur totaliter per sacramentum penitentiae, nisi amota omni inordinata aversione et conversione peccantis. Sed haec duo quandoque amoventur in sacramento penitentiae, quandoque primum sine secundo. Ergo quandoque tollitur totaliter reatus, et quandoque non. — Item, per sacramentum penitentiae tunc solum tollitur totaliter reatus, quando penitens perfecte recompensat amicitiam et justitiam circa Deum. Sed haec duplex recompensatio quandoque concurrit in penitente, et quandoque prima sine secunda: Igitur, etc.

Et in hoc primus articulus terminatur; quia plura in solutionibus, ad dictorum confirmationem, dicentur.

ARTICULUS II.

PONUNTUR OBJECTIVES.

§ 1. — CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM.

I. Argumentum Durandi. Quantum ad secundum articulum, arguitur contra conclusiones. Et quidem, contra primam conclusionem, arguit Durandus (dist. 14, q. 3). Et primo vult probare quod penitentia non sit sacramentum, nec debet dici sacramentum penitentiae, sed sacramentum confessionis et absolutionis. Quia in confessione et absolutione consistit hoc sacramentum, tanquam in eum materia et sua forma. Penitentia autem, si acceperit pro habitu vel actu interiori, est ad hoc sacramentum previa, tanquam dispositio suscipiens. Si igitur acceperit pro executione poenae satisfactorie, sic est consequens ad hoc sacramentum. Et sic penitentia, quoemque predictorum modorum accepta, non est intrinseca huic sacramento.

II. Alia argumenta Durandi. Secundo arguit (dist. 14, q. 2 et 1) quod penitentia non sit quedam specialis virtus ab aliis distincta, potissimum a justitia.

Primo (2). Quia vel esset infusa, vel acquisita. Sed neutrini est. Ergo, etc. Minor probatur. Quia nulla virtus est infusa praeter tres theologicas, ut dicit se

(2) in eo. — Om. Pr.
(3) cap. — Ad. Pr.

(2) Primo. — Om. Pr.

probasse tertio libro (dist. 33, q. 6). Quod autem non sit acquisita, probat. Quia, si esset secundum se quædam virtus acquisita ex actibus pœnitendi, tunc ille qui plures peccaret et plures pœniteret, esset virtuosior, seu plures virtutes haberet quam innocens, qui semper in actibus virtuosus perseveraret, et per consequens non acquireret sibi virtutem pœnitentiae ex actibus pœnitendi, quia nunquam pœniteret, eo quod peccatum non fecisset. Hoc autem est irrisorium. Est ergo virtus pœnitentiae ipsam virtus justitiae, cuius actus est redire unicuique quod suum est: Deo obedientiam, observando mandata, et fugiendo transgressionem eorum; et, si contingat transgredi, tunc elicit actum pœnitendi; propter quem actum sortitur nomen pœnitentiae.

Secundo ad idem. Quia pœnitere non potest esse principalis actus alienus virtutis. Quia primus et principalis actus virtutis nunquam preexit actum vitii in operante virtuose: actus enim principalis temperantiae non requirit quod homo prius intemperale egerit, nec actus principalis liberalitatis requirit quod aliquis prius fuerit avarus, et sic de singulis virtutibus, alioquin nullus posset fieri virtuosus nisi prius fuissest vitiosus; quod non est verum. Sed pœnitere necessario presupponit actum vitiosum preecessisse in pœnitente; est enim de malo commisso. Ergo pœnitere non potest esse primus et principalis actus alienus virtutis. Ergo, etc.

Tertio. Quia actus primus et principalis virtutis cuiuslibet est secundum electionem boni ut fiat; secundus vero, differens a primo, re vel ratione, est fuga mali, ne malum fiat; tertius autem est, si contingat malum fieri, quod illud displiceat; ut patet in omnibus virtutibus. Et sic pœnitere de malo quod jam contigit, non est primus et principalis actus virtutis, sed secundarius, vel tertius, et de objecto contingenti per accidentem ipsi virtuoso: contingit enim virtuosum peccare, sed non inquantum est virtuosus; per habitum tamen virtutis detestatur malum, si quid contingit.

Quarto. Quia omnis virtus, vel est intellectualis, vel theologicalis, vel moralis. Sed pœnitentia neutrini esse potest. Constat enim quod non est intellectualis. Quod autem non sit theologica, probatur: quia virtus theologica habet Deum pro objecto, et non actum humanum bonum vel malum; sed pœnitere habet pro objecto actum humanum, scilicet peccatum per hominem commissum; ergo pœnitentia non est virtus theologica. Quod autem non sit moralis, patet: quia virtus moralis non habet pro fine proximo, nec pro circumstantia informante, aliquid quod excedat dictamen rationis naturalis; sed pœnitentia, vel pœnitere, habet pro fine proximo, et pro circumstantia informante, aliquid quod excedit dictamen rationis naturalis. Quod patet: quia finis proximus penitendi est ut homo reconcilietur

Deo quem offendit per peccatum, satisfaciendo per pœnitentiam; illud autem non cedit sub dictamine rationis naturalis. Oportet ergo quod actus pœnitendi non solum sit a virtute morali, sed a (2) theologia, una vel pluribus, qualitercumque hoc fiat. Ergo pœnitentia non est specialis virtus, secundum se distincta ab aliis, potissimum a justitia.

Quinto. Quia omnis virtus moralis que ordinat hominem ad alterum in ratione debiti, pertinet ad justitiam. Sed pœnitentia ordinat hominem ad alterum in ratione debiti. Igitur pertinet ad justitiam. Major patet. Quia virtutes morales aliae a justitia: aut non ordinant hominem ad alterum, ut temperantia; aut, si ordinant, ut liberalitas, non tamen in ratione debiti; non enim liberalis tenetur ei cui dat ex aliquo debito; si enim tenoretur ex debito, non esset liberaliter datum, sed necessario redditum. Sed ad solam justitiam pertinet ratio debiti, ut ipsum nomen sonat: quod enim justum est fieri, debitum est; et quod debitum est, justum est reddi. Et sic patet major. Minor probatur: quia pœnitentia ordinat hominem ad Deum in ratione debiti. — Hec Durandus, in forma.

§ 2. — CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM.

I. Argumenta Aureoli. — *Contra secundam conclusionem arguit Aureolus (dist. 14, q. 1, art. 4).* Et primo probat quod materia vel objectum pœnitentiae virtutis non sit peccatum, sed pena.

Primo ex dicto Philosophi, 5. *Ethicorum* (cap. 4): *Justitia punitiva, in peccatis est, quæ reducit offendit ad aequalitatem.* Considerandum est enim quod ille qui injuriatur, habet plus, quia egit quod non debet; ille vero qui passus est, habet minus, quia privatus est honore proprio. Pena autem justa reducit istos ad aequalitatem. Propter quod pena, ut sic, est objectum justitiae punitivæ. A simili, peccatum inducit (2) quandam inaequalitatem inter Deum et hominem, auferendo illud quod suum est, puta reverentiam, obedientiam et honorem, in quo Deus per peccatorem, inquantum est ex parte peccatoris, fit minus habens; peccator (3) autem attribuendo sibi et usurpando proprium volunt et beneplacitum ac desiderium, fit plus habens. Ideo hanc inaequalitatem reducit ad aequalitatem pœnitentia; auferendo peccatori propria desideria, et exhibendo reverentiam Deo et obedientiam. Ergo peccatum non est objectum pœnitentie, sed pena, ut reductiva illius inaequalitatis ad aequalitatem.

Secondo sic. Ibid est proprio objectum et materia alienus virtutis, circa quod illa virtus immediate ponit et conjectural bonum, et medium ratio-

(2) *a.* — *Omn. Pr.*

(3) *inducit.* — *cum inducat Pr.*

(4) *peccator.* — *peccata Pr.*

nis facit, quod est quasi forma inducenda a virtute. Sed pœnitentia non ponit hujusmodi bonum et medium rationis circa peccata, sed circa pœnas, ut illius inæqualitatis reductivas. Ergo, etc. Major patet ex 2. *Ethicorum* (cap. 6) : quia *virtus est conjectrix* (α) *medii*, puta circa medium rationis consistens; et debitas circumstantias inducit in materiam determinatam. Minor patet : quia in peccatum hujusmodi circumstantias non inducit; sed agens circa pœnitentem, apponit pœnas quas oportet (β), et quando et ubi et sicut oportet, et sic de aliis circumstantiis.

Confirmatur. Quia nulla virtus habet pro objecto illud quod corruptit; cum ipsa habeat modificare suum objectum. Sed pœnitentia corruptit peccata. Ergo, etc.

Tertio. Quia, sicut est de justitia punitiva, et vindicativa, sic est de pœnitentia. Justitia enim punitiva, est directiva in pœnis quæ a judice infliguntur. Justitia autem vindicativa, est directiva in pœnis quæ infliguntur a persona privata, ubi judicis non habetur præsentia; sicut, tempore Machabeorum, Mathathias (γ) et filii ejus punierunt peccatores. Ultra istas, est tertia, punitiva suiipsius, infligendo pœnam sibi debitam secundum judicium rationis; et haec est pœnitentia. Dico ergo quod, sicut est de justitia punitiva, et vindicativa, quæ sunt ad alterum, sic est de pœnitentia, quæ est justitia punitiva in seipsum. Sed justitia punitiva, et vindicativa, sunt directe in pœnis; nec habent pro objecto peccata, sed pœnas, licet moveantur ex peccatis commissis; tamen proprius actus illarum est circa moderationem penarum in alterum, secundum circumstantias requisitas. Ergo justitia directiva penarum in seipsum, etsi motum capiat ex peccato, tamen totus ejus actus est circa pœnas ut reductivas ad æqualitatem. — Haec ille.

II. Alia argumenta Aureoli. — Secundo loco arguit (dist. 16, q. 1, art. 1), probando quod nullus alius actus pœnitentis sit de essentia pœnitentie, quæ est sacramentum, praeter confessionem.

Primo. Quia istud sacramentum potest esse sine satisfactione. Unde Papa potest committere simplici sacerdoti quod absolvat pœnitentem a pœna et culpa; et similiter sacerdos nullum tenetur injungere pœnitenti, tanta posset apparere contritio in pœnitente. Sed nullum sacramentum potest esse sine eo quod est propria materia sacramenti, vel de ejus essentia. Ergo, etc.

Secundo. Quia illud non est materia sacramenti, in quo non potest esse aliqua virtus supernaturalis infusa, secundum te, qui dicas quod in materia

sacramenti est virtus supernaturalis infusa, activa respectu dispositionis gratiae. Sed in satisfactione nulla potest esse virtus infusa, que sit activa respectu illius dispositionis : quia ante satisfactionem infunditur gratia. — Si dicas quod non deletur (α) culpa sine satisfactione in proposito; — **Contra :** Satisfactione in proposito non est signum sensibile; ergo nec materia hujus sacramenti.

Tertio sic. Nunquam essentia hujus sacramenti manet, quando morbus non manet. Sed quando pœnitentia imposta expletur, non manet morbus; quia culpa jam deleta est. Ergo, etc.

Consimiliter dico de *contritione*, quod non potest esse materia hujus sacramenti, cum non sit signum sensibile. — Haec ille.

§ 3. — CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

I. Argumenta Scoti. — Contra tertiam conclusionem arguit Scotus (dist. 14, q. 1), probando quod, cessante actu peccati, non manet aliquis reatus, vel obligatio, que sit aliquid reale, relativum vel absolutum : quia nulla relatio realis manet in anima, cessante actu peccati; secundo, quia, si maneret (β), non ab illa diceretur anima peccatrix.

Primum probatur. Quia relatio realis intrinsecus adveniens, sequitur necessario positionem extremorum. Haec autem non sequitur. Patet : quia, manente eadem anima, et Deo, seu pœna, eodem modo se habente, non propter hoc anima est obligata ad pœnam; quia non ante peccatum. Quod si sit extrinsecus adveniens, necesse est ibi dare causam per quam adveniat, extremis jam positis, sicut est de *ubi*; non enim potest esse respectus realis qui non sequatur extrema posita, quin sibi usq[ue] termino respondeat aliqua actio realis. Sed istius obligationis dari non potest actio realis, nec agens reale. Non enim anima : quia peccando non habuit nisi unicum actionem deordinatam, que fuit ad illud velle privatum debitis circumstantiis, et ita non ad illum respectum ut ad terminum. Nec potest dici ista obligatio terminus divinae actionis immediate : quia nulla anima dicitur peccatrix præcise ab illo quod est terminus immediatus divinae actionis.

Secundum probatur. Quia, si esset in anima talis obligatio, non posset singi inesse nisi a Deo immediate; et ita per illam non esset anima peccatrix formaliter, cum Deus non sit causa peccati per se, sed solum permissive. Istam difficultatem tangit Magister, dist. 18, cap. ult. Et videtur solvere per hoc quod « polluta est anima quousque pœnitateat, sicut erat dum erat in ea prava voluntas. » Et exemplificat de illo qui tetigit morticinum : cessante enim actu, est immundus sicut prius. Et subdit : « Ita

(α) *conjectrix*. — *conjectatrix* Pr.

(β) *quas oportet*. — *quia* Pr.

(γ) *Mathathias*. — *Machabæus* Pr.

(α) *deletur*. — *debetur* Pr.

(β) *maneret*. — *manet* Pr.

polluta anima remanet, sicut fuit in ipso actu peccati; quia ita est longe a Deo per dissimilitudinem. Ipsa enim dissimilitudo, que inest animae ex peccato, et est elongatio animae a Deo, macula videtur. » — Sed contra istud stat prior deductio: quia macula ista, vel elongatio, vel dissimilitudo, quoemque nomine censeatur, non potest esse tantummodo carentia gratiae habitualis, quia ista totaliter inest in primo peccato; nec carentia rectitudinis in actu, quia illa non est nata manere, nisi manente macula in actu. Item, macula summi odii A, et summissus amor ipsius A, repugnant; ergo per unum auferunt aliud; et, per consequens, macula odii A posset auferri per immoderatum amorem ipsius A.

Tertio. Quia, si aliquid derelictum ab actu peccati dicatur manere, illud non est formaliter peccatum: quia potest stare in justificato (2); sicut habitus vitiosus, vel dispositio ad illum, manet in justificato subito. Et hoc patet: quia in principio promisus est ad acquirendum illam inclinationem habitus vitiosi, sed, pugnando contra eam, meretur et acquirit habitum contiguum; unde magni peccatores, non statim quando justificati sunt, habent illam pacem quam habent perfecti et exercitati in virtutibus. Quicunque etiam habitus vel dispositio vitiosa relinquitur ex actibus, desineret esse post fluxum temporis, nisi firmaretur perfecte per frequentiores actus; sicut universaliter omnis dispositio ad habitum desinit esse, cessantibus actibus. Sed illud quo aliquis dicitur peccator, postquam commisit, non desinit esse. Non ergo est ibi aliquid absolutum vel relativum, positivum vel privativum, a quo dicitur peccator a tempore cessationis usque ad penitentiam; sed tantum quedam relatio rationis, in quantum est objectum intellectus vel voluntatis Dei; quia, postquam commisit, voluntas Dei ordinat illum ad penitentiam correspondentem peccato, et intellectus providet pro omni tempore, donec pena sit persoluta.

Quarto. Quia Augustinus, super illud Psalmi (31), *Beati quorum remissae sunt iniuriae*, etc.: *Videre, inquit, peccatum Deum, est ad penitentiam imputare; avertire autem faciem a peccatis, hoc est ea ad penitentiam non reservare.* Ita ergo dicit ab eo teata, non ut non videat, sed ut non velit animadvertere, id est, punire. Ergo hominem remanere in reatu post actum peccati transeuntem, non est aliud nisi ipsum a Dei voluntate ordinari ad penitentiam condignam illi peccato. Objectum autem intellectus vel voluntatis, ut intellectum vel voluntum, non habet nisi respectum rationis. Ergo, etc.

Quinto. Quia, esto quod Deus in multiplicacionem meritorum non intenderet habitum charitatis (sicut possibile est, si merita sint remissa, vel etiam si essent intensa), tamen ille qui plura merita

habuit (3), transeuntibus interioribus et exterioribus, est magis meritus quam aliud; quod nihil aliud est nisi quia ordinatus est ad maiorem gloriam; per quod non habetur aliquod positivum vel privativum, absolutum vel relativum, intrinsecum isti, sed tantummodo relatio rationis, inquantum est objectum divine voluntatis, ut sic ordinetur ad multipliciori gloriam; isti enim in acceptione divina ordinantur per ista merita, vel iste per ista merita ordinatur ad talē vel talē gloriam. Sicut ergo ista acceptatio, propter merita transeuntia; nihil est realiter nisi actus divinae voluntatis, et in isto tantummodo relatio rationis, sicut in objecto volito; ita, ex alia parte, propter peccata transeuntia, est abjectio, vel reprobatio, vel expulsio in voluntate divina, et in peccatore est relatio rationis tantum, ut objecti reprobat ad talē vel talē penam.

Sexto. Quia, si quis offendat magnum principem tali offensa cui correspondet magna pena, cessante illo actu, nihil est in ipso quod prius non fuit ante actum peccati, propter quod nunc dicitur inimicus et non prius; sed tantum in voluntate domini est actus transiens super ipsum; et per hoc in ipso est relatio rationis, ut in objecto volito ad talē penam. Ex quo patet quod, cessante actu peccati, nihil aliud est offensa, macula, vel reatus, nisi ista relatio rationis. Sed ista relatio rationis, scilicet ordinatio ad penitentiam, ut est inconveniens anime, dicitur ejus macula, sicut per oppositum pulchritudo; ut autem est obligatio formaliter ad illam penitentiam, dicitur reatus; et ut est actus voluntatis divinae, in qua est tota illa realitas, per quem actum ordinatur ad talē penitentiam, dicitur offensa. — Haec Scotus, in forma.

II. Argumenta Aureoli. — Contra eandem conclusionem arguit Aureolus (dist. 14, q. 4, art. 4).

Et primo nimirum probare quod illud quo quis dicitur formaliter peccator, transeunte actu peccati, non sit respectus realis.

Primo (4). Quia nullus respectus realis potest de novo acquiri, nisi acquisito aliquo absolute. Sed, transeunte actu peccati, non advenit aliquod absolute realis de novo. Igitur, etc.

Item. Cum iste respectus non sit de genere relationis, secundum te, nec appareat de quo genere sit, non est rationabile illum ponere.

Itaque. Si obligatio ad penitentiam est illud quo aliquis dicitur formaliter peccator, ergo in quoemque esset talis obligatio, ille esset in culpa. Quod est falsum: quia, peccato per penitentiam dimisso, adhuc remanet obligatio ad aliquantum penitentiam.

Dicces quod sola obligatio ad penitentiam aeternam est

(2) *habuit.* — *habuerit* Pr.

(3) *Primo.* — *Om.* Pr.

illud quo quis dicitur formaliter peccator. — Contra : quia peccatum veniale manet sine obligatione ad penam aeternam; ergo ubi non est obligatio ad penam aeternam, ibi est ratio culpe.

Ulterius probat quod illud quo quis dicitur formaliter peccator, transeunte actu peccati, non sit privatio actualis justitiae vel gratiae in voluntate. Quia illud non potest dici formalis ratio peccati, quo non intenso nec remisso, peccatum dicitur intendi et remitti; formalis enim ratio et illud cuius est ratio, mutuo intenduntur. Sed, tali privatione non intensa nec remissa, peccatum dicitur intendi et remitti. Ergo, etc. Minor probatur : quia privatio justitiae et gratiae non suscipit intentionem aut remissionem ex additione peccatorum; quæ enim privatur gratia qui fecit unum peccatum, sicut qui fecit mille. Similiter aliquis posset esse privatus gratia, nec tamen diceretur peccator; sicut ille qui in puris naturalibus crearetur. Nec valet si dicas quod ex privatione gratiae simpliciter non dicitur quis peccator, sed oportet quod commiserit culpam, per quam gratia se privavit. Hoc enim non valet; quia ego loquor de formal ratione peccati.

Ulterius arguit quod illud quo quis dicitur formaliter peccator, transeunte actu peccati, non sit macula ex peccato relictæ, sicut contagium ex contactu morbi. Quia tunc illud esset quedam habilitas relictæ; et hoc non potest esse, quia aliquis non peccator potest esse magis habilitatus quam peccator. Aut esset aliquid aliud; et non appareat quid potest esse. — Haec ille.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

§ 1. — AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

I. Ad Argumentum Durandi. — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectio-
nibus supradictis. Et quidem, ad ea que Durandus primo loco objicit contra primam conclusionem, dicitur primo, quod hoc sacramentum proprio nominatur sacramentum pœnitentie : tum quia finis ejus principalis est per pœnam punire peccatum et peccantem, ad satisfaciendum Deo, et ad abolendum offendam Dei; tum quia omnia concurrentia ad hoc sacramentum habent rationem pœnae, ut puta dolor contritionis, erubescencia confessionis, ligamen sacerdotis ad pœnam, et labor satisfactionis. De predictis beatus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 16, q. 1, art. 1, in solutione secundæ questionis, sic dicit : « Pœnitentia culpe precedentis offendam abolet per modum recompensationis ejusdem. Haec

autein recompensatio differt a recompensatione vindicativa justitiae in duobus. Primo, quia, in vindicativa justitia, ille qui peccavit, se habet ad recompensationem ut patiens tantum, in quantum pœna per quam fit culpe recompensatio, est ab alio inflicta; et ideo non presupponitur ad recompensationem dolor de peccato, sed ex pœna compensante dolor infligitur. In pœnitentia autem, ille qui peccavit, se habet ad recompensationem etiam ut agens, quia ipse sponte sua ad pœnam compensantem accedit; et ideo displicentia culpæ præexigitur. Secundo differt, quia, in vindicativa justitia, taxatur pœna compensans secundum arbitrium judicis, et non ejus in quem commissum est peccatum. Sed, in pœnitentia, oportet quod pœna compensans taxetur secundum arbitrium ejus in quem peccatum commissum est; quia talis recompensatio fit ad reconciliandum animum offensi; quæ reconciliatio esse non potest, nisi pœna compensans voluntati ejus sufficiat; et ideo oportet, in pœnitentia, quod modus pœnae satisfactorie secundum arbitrium sacerdotis, qui vicem Dei obtinet, servetur. Utrique ergo recompensationi hoc commune est, quod fiat recompensatio, non secundum arbitrium ejus qui peccavit, sed alterius hominis. Arbitrium autem rectum requirit cognitionem culpæ; quæ quidem, si ei qui debet pœnam taxare, per eum qui peccavit fiat, confessio dicitur; si autem alias, vel ab aliis, dicitur convictio. Et quia, in pœnitentia, sponte qui peccavit ad recompensationem faciendam accedit, requiritur confessio. Et sic recompensatio tribus gradibus perficitur. Quorum primus est displicentia culpæ præterite; alias non sponte ad recompensationem accederet; et hoc per contritionem perficitur. Secundus est, ut culpam suam notificeat Deo per sacerdotem; alias non se ad recompensationem secundum arbitrium ejus in quem peccavit, offerret; et quantum ad hoc est confessio. Tertius est, ut recompenset secundum arbitrium sacerdotis; et quantum ad hoc est satisfactio. » — Haec ille. — Similia dicit, 3 p., q. 90, art. 2. — Ex quibus patet quod confessio, contritio, satisfactio, concurrunt ad completam punitiōnem pœnitentis. Et ideo hoc sacramentum merito dicitur sacramentum pœnitentie.

Dicitur secundo, principaliter ad argumentum, quod ad hoc sacramentum non solum pertinet pro materia confessio pœnitentis, immo etiam contritio et satisfactio. De hoc sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 22, q. 2, art. 1, q^{ta} 2, ubi querit : Utrum interior pœnitentia sit res hujus sacramenti. Arguit, tertio loco : « Pœnitentia interior videtur esse idem quod contritio. Sed contritio non est res hujus sacramenti, cum sit pars sacramenti. Ergo interior pœnitentia non est res hujus sacramenti. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum quod tres partes pœnitentiae sunt in pœnitentia exteriori

et interiori : quia confessio et satisfactio, quae videntur tantum ad exteriorem pœnitentiam pertinere, inveniuntur in interiori pœnitentia, quantum ad propositum et premeditationem eorum; et etiam contritio, quæ videtur tantum interioris pœnitentiae esse, invenitur in pœnitentia exteriori secundum quædam signa, quibus sensibiliter manifestatur, vel alii, vel saltem ipsi pœnitenti, qui dolorem sensibilem percipit in seipso. » — Haec ille. — Ex quibus appareat quod non solum confessio exterior, verum etiam contritio et satisfactio pertinent ad materiam hujus sacramenti; et quod hoc sacramentum proprie dicitur sacramentum pœnitentiae. Item, 4. *Sentent.*, dist. 16, q. 1, art. 1, in solutione tertiae questiunculae, sic dicit : « Pœna quam pœnitens patitur, tota in rationem satisfactionis cedit. Non enim sola exteriori pœna homo satisfacit, sed etiam interiori; alias oratio mentalis non esset satisfactoria. Unde et pœna quæ est in contritione, et quæ est in confessione, in partem satisfactionis cedit. Et quia satisfactio est ultima pars, totum sacramentum a pœna denominatur, sicut res denominatur ab ultimo sui. » — Haec ille. — Ex quibus patet quod divisio quam arguens facit, insufficiens est : quia pœnitentia non solum accipitur pro actuali habitu interiori, aut pro exteriori pœnitentia injuncta, verum etiam pro ipsa confessione, quæ est quædam pœna, et pœnitentiae pars.

Cum autem dicit arguens, quod contritio non potest dici pars hujus sacramenti, quia est dispositio prævia ad sacramentum, etc.; — dicitur quod est dispositio prævia, antequam adsit confessio; sed, assistente confessione, est pars integralis sacramenti. Potest etiam dici quod contritio præcedens confessionem etiam est pars sacramenti, quia in illa incipit sacramentum. Et similiter, dicitur quod executio pœnitentiae satisfactorie non sequitur completum sacramentum, sed est ultima pars, complens sacramentum quoad suum materiale. Sacramentum enim pœnitentiae est quoddam totum integrale, successivum, sicut docet sanctus Thomas, ubi supra (4. *Sentent.*, dist. 16, q. 1, art. 1, q^a 3). « Partes integrales sunt duplices. Quædam sunt partes quantitatis; quæ quandoque sunt unius rationis, ut in totis homogeneis; quandoque vero diversarum rationum, ut in totis heterogeneis. Quædam vero sunt partes essentiae, sicut materia et forma, et non quantitatis. Et haec semper sunt diversarum rationum; et habent ordinem naturæ ad invicem, et quandoque etiam ordinem temporis, in his quorum esse non est simul. Et hujusmodi sunt partes de quibus loquimur : quia pœnitentiae sacramentum, secundum rationem sue speciei, ex his tribus integratur; et ulla est prior altera secundum naturam, et quandoque etiam secundum tempus : eorum enim actuum humanorum qui sunt materiales in pœnitentia, non est totum esse simul, sed succedunt sibi invicem;

sed quandoque plures eorum, quorum unus est altero prior secundum naturam, sunt simul tempore. » Item, in solutione secundi argumenti, sic dicit : « In partibus successivorum, ex qualibet parte potest concludi totum : sicut, *Hora tertia est, ergo dies est*. Non tamen totum de una parte predicitur : non enim dicimus quod hora sit dies; sed tantum de omnibus partibus simul acceptis aliquo modo invenitur predicari totum, licet improprie. Et sic etiam de qualibet parte pœnitentiae pœnitentia concluditur, eo quod pœnitentia non habet totum esse suum simul. Non tamen totum de partibus predicitur, neque conjunctim, neque divisim, proprie loquendo. » — Haec ille. — Ex quibus patet quod contritio præcedens confessionem et absolumentem, est pars sacramenti pœnitentiae, et pertinet ad ejus integratatem essentiale. Secundo, patet quod executio pœnae satisfactorie pertinet ad integratatem essentiae dicti sacramenti. Tertio, patet quod nec contritio præcedens absolumentem, nec satisfactio sequens absolumentem, præcedunt aut sequuntur sacramentum pœnitentiae, sicut arguens false putat; sed contritio illud inchoat, et executio pœnitentiae satisfactorie illud consummat. De his tamen plura dicentur in sequentibus hujus articuli, et forte in decimasexta vel decimaseptima distinctione. Verum tamen ad omnia quæ ibi dicit Durandus, volens probare quod nec contritio nec satisfactio sint partes hujus sacramenti, patet responsio per prædicta, quia omnia in virtute soluta sunt. Nec de illis propter hoc oportet facere specialem questionem, nisi fortius aliquid occurrat.

II. Ad alia argumenta Durandi. — Ad ea quæ secundo loco inducit, scilicet de pœnitentia ut est virtus, — dicitur primo, in generali, quod pœnitentia est quædam virtus specialis, distincta non solum ab intellectualibus aut theologicis, immo a qualibet trium moralium cardinalium. Quod enim sit virtus quædam, ostendit sanctus Thomas, 3 p., q. 85, art. 1 (z), dicens : « Pœnitere est de aliquo a se prius facto dolere. Dolor autem, vel tristitia, dicitur dupliciter. Uno modo, secundum quod est passio quædam appetitus sensitivi; et, quantum ad hoc, pœnitentia non est virtus, sed passio. Alio modo, secundum quod consistit in voluntate; et hoc modo est cum quadam electione; quæ quidem, si sit recta, necesse est quod sit actus virtutis. Dicitur enim, 2. *Ethicorum* (cap. 6), quod virtus est habitus electivus secundum rectam rationem. Pertinet autem ad rectam rationem quod aliquis doleat de quo dolendum est, et eo modo et sine quo dolendum est (6). Quod quidem observatur in pœnitentia de qua nunc loquimur : nam pœnitens assumit mode-

(z) art. 1. — Om. Pr.

(6) a verbis et eo modo usque ad est, Om. Pr.

ratum dolorem de peccatis preteritis, cum intentione removendi ea. Unde manifestum est quod pœnitentia de qua nunc loquimur, est virtus, vel actus virtutis. » — Hac ille. — Item, 4. *Sentent.*, dist. 14, q. 1, art. 1, in solutione secundæ questiunculae, sic dicit : « In pœnitentia se habet homo ut recipiens et ut agens. Recipit enim a Deo veniam et reconciliationem per Ecclesiam ministros; et, secundum hoc, habet rationem sacramenti. Sed ex parte actus, sunt de ipso diverse opiniones. Quidam enim dicunt quod est actus virtutis, et non est virtus. Sed hoc non potest esse : quia, cum actus virtutis non sint in dormiente, dormiens non posset dici pœnitens; quod est falsum. Et ideo aliqui dixerunt quod, ex parte ista, pœnitentia est virtus, sed non proprie loquendo, sed communiter, prout omnia laudabilia virtutes dicuntur, etiamsi sint passiones. Sed hoc non est verum : quia, secundum Philosophum, 6. *Ethicorum* (cap. 2), principale in virtute morali est electio; unde omnis habitus qui facit rectam electionem, potest dici proprie loquendo virtus. Unde, cum actus pœnitentiae non causetur tantum ex passione, sed magis ex electione, etiam si nulla sit passio, constat quod pœnitentia proprie loquendo est virtus, et non improprie, sicut verecundia, vel hujusmodi. » — Hac ille. — Item, ibidem, in solutione primi argumenti, sic dicit : « Non secundum idem pœnitentia est virtus et sacramentum; sed in quantum per pœnitentiam recipit gratiam curantem peccati vulnus, potest esse sacramentum; in quantum autem per habitum infusum ordinatur ad actum rectum, sic est virtus. » — Hac ille. — Quod autem pœnitentia sit specialis virtus, ostendit, 3 p., ubi supra (q. 85), art. 2 : « Species, inquit, habituum distinguuntur secundum species actuum. Et ideo, ubi occurrit specialis ratio actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Manifestum est autem quod in pœnitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati praeteriti, in quantum est offensa Dei; quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Unde necesse est ponere quod pœnitentia sit specialis virtus. » — Hac ille. — Item, 4. *Sentent.*, ubi supra (dist. 14, q. 1, art. 1), in solutione tertiae questiunculae, sic dicit : « Pœnitentia accipit vel aspicit specialem rationem objecti; quia respicit peccatum a se commissum, ut expiabile per pœnitentis actum. Et ita actus pœnitentiae non est detestari peccatum absolute, quia hoc est eunuslibet virtutis; sed detestari ad expurgationem ejus, et quantum ad culpam, et quantum ad reatum. Hoc enim nulla alia virtus facit. » — Hac ille. — Quod autem pœnitentia non sit virtus theologica, ostendit, ibidem, in solutione quartæ questiunculae, dicens : « Virtus theologica habet idem pro objecto et pro fine. Hoc autem non est in pœnitentia : quia objectum ejus est peccatum commis-

sum, quod intendit expiare; finis autem est Deus, cui intendit reconciliari. Et ideo non est virtus theologica, sed inter virtutes morales numeranda est. » — Hac ille. — Quod autem pœnitentia sit alia virtus a justitia communiter dicta, ostendit, ibidem, in solutione quintæ questiunculae, dicens : « Quia justitia aequalitas quedam est, ideo ubi non potest esse adequatio vera, ibi non potest esse perfecta ratio justitiae, sed aliquis justitiae modus; sicut dicit Philosophus in 5. *Ethicorum* (cap. 6), quod domini ad servum non est simpliciter justum, sed dominativum justum. Cum ergo inter hominem et Deum sit maxima distantia, non poterit ibi esse proprieta dicta justitia hominis ad Deum, sed aliquis justitiae modus, quasi per similitudinem. Homo autem efficitur debitor alteri homini duplicitate. Uno modo, per hoc quod ab eo sibi datum est, sicut in voluntariis commutationibus, puta in emptionibus et venditionibus. Alio modo, per hoc quod ei subtraxit, sicut est in involuntariis commutationibus, ut est furtum, percussio, et hujusmodi. Similiter aliquis efficitur Deo debitor per hoc quod ab eo aliquid recipit; et, in hac ratione, Deo reddit debitum honorenlatria, sive religio. Alio modo, ex hoc quod contra Deum peccat; et sic reddit Deo debitum pœnitentia. Unde, sicut religio ponitur pars justitiae a Tullio (*de Invent.*, lib. 2), non quidem quasi species, sed quasi pars potentialis, in quantum aliquem modum justitiae participat; ita etiam pœnitentia pars justitiae debet ponи. » — Hac ille. — Similia dicit, 3 p., q. 85, art. 3; nisi quod ibi videatur velle quod pœnitentia sit quedam species justitiae. Ait enim sic : « Pœnitentia non habet quod sit specialis virtus ex hoc solo quod dolet de malo perpetrato; ad hoc enim sufficeret charitas; sed ex eo quod pœnitens dolet de peccato commisso, in quantum est offensa Dei, cum emendationis proposito. Emendatio autem offensae contra aliquem commissae fit non per solam cessationem offensae; sed exigitur ulterius quedam recompensatio, que habet locum in offensis in alterum commissis, sicut et retributio; nisi quod recompensatio est ex parte ejus qui offendit, utputa cum satisfacit, retributio autem est ex parte ejus in quem fuit offensa commissa. Utrumque autem (z) ad materiam justitiae pertinet, quia intrinsecus est quedam commutatio. Unde manifestum est quod pœnitentia, secundum quod est virtus, est pars justitiae. Sciendum tamen quod, secundum Philosophum, 5. *Ethicorum* (cap. 6), duplicitate dicitur justum, scilicet simpliciter, et secundum quid. Simpliciter quidem justum, est inter aequales, eo quod justitia est aequalitas quedam; quod ille vocal justum politicum, vel civile, eo quod omnes cives aequales sunt, quantum ad hoc quod sunt immediate sub principe, sicut liberi existentes.

(z) autem. — enim Pr.

Justum autem secundum quid, dicitur illud quod est inter illos quorum unus est sub potestate alterius, sicut servus sub domino, filius sub patre, uxor sub viro. Et tale justum consideratur in pœnitentia. Unde pœnitens recurrerit ad Deum cum emendationis proposito, sicut servus ad dominum, secundum illud Psalm. 122 (v. 2), *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum; donec misereatur nostri;* et sicut filius ad patrem, secundum illud Lucæ 15 (v. 21), *Pater peccari in cœlum et eoram te;* et sicut uxor ad virum, secundum illud Jeremiah 3 (v. 4), *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus.*

— Hæc ille. — Ex quibus patet quod virtus pœnitentiae non est justitia simpliciter, sed secundum quid. Et sic debet intelligi illud quod dicit in solutione quarti, scilicet quod pœnitentia est « directe species justitiae »; et similiter illud quod dicit in solutione tertii, scilicet quod pœnitentia « continetur sub justitia commutativa ».

Istis præmissis, dicitur ad argumenta singula. Et,

Ad primum quidem, dicitur, negando minorem: nam pœnitentia potest dici virtus infusa, et virtus acquisita. Nec valet improbatio hujus. Tum quia falsum est quod sole virtutes theologicae infundantur a Deo, ut visum fuit, 3. *Sentent.*, dist. 33; et ibi resonsum fuit objectionibus arguentis. Tum etiam quia habitus pœnitentiae acquisitus ex actibus potest diei virtus. Et cum dicit arguens, quod tunc pœnitens haberet virtutem, qua caret innocens, etc.; — dicitur quod sicut non est inconveniens quod ille qui fuit peccator, habeat, dum pœnitet, aliquem actum virtuosum quem non habuit innocens, qui nunquam peccavit; sic non est inconveniens quod habeat aliquem habitum virtuosum, potissimum acquisitum ex actibus, quem nunquam habuit innocens. Unde argumentum parum vel nihil habet apparentiae, et minus existentiae. De predictis sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, ubi supra (dist. 44, q. 1), art. 3, in solutione secunde quæstiunculae, sic dicit: « Habitus est mediocris inter potentiam et actuam. Et quia, remoto priori, removetur posterior, non autem e converso; ideo, remota potentia ad actuam, removetur habitus, non autem remoto actu. Et quia subtractio materiae tollit actuam, propter hoc quod actus non potest esse sine materia in quam transit; ideo habitus aliquius virtutis competit alio cui non suppetit materia, propter hoc quod suppetere potest, et ita in actu exire; sicut pauper homo potest habere habitum magnificientiae, sed non actuam, quia non habet magnitudinem divitiorum, quae sunt materia magnificientiae, sed potest habere. Et ideo, cum innocentes in statu innocentiae non habeant peccata commissa, quae sunt materia pœnitentiae, licet possint habere, actus pœnitentiae in eis esse

non potest, sed habitus potest, et hoc, si gratiam habeant, cum qua omnes virtutes infunduntur. » — Hæc ille. — Ibidem etiam ostendit, in solutione tertiae quæstiunculae, quod pœnitentia remanet in beatis hominibus, licet quoad alium actum quam in via. Item, in multis locis, tenet sanctus Thomas quod in Christo non fuit spes, neque pœnitentia; ut patet, 3 p. (q. 7, art. 4), et 3. *Sentent.* (dist. 26, q. 2, art. 5).

Ad secundum, negatur principale assumptum. Pœnitere enim est principalis et primus actus virtutis pœnitentiae. Nec valet probatio; quia securus est de virtutibus retrahentibus a malo, et de aliis. Unde sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, ubi supra (dist. 14, q. 1), art. 1, q^{ta} 2, arguit sic, quarto loco: « Omnis virtus est per ordinem ad bonum. Sed pœnitentia dicitur per ordinem ad malum (2). Ergo non est virtus. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum quod bonum illud ad quod virtus immediate ordinatur, est actus perfectus ipsius. Et ideo aliquæ virtutes sunt, quæ principalem actum habent in retrahendo a malo; sicut modestia, et temperantia, et hujusmodi. Et similiter actus perfectus pœnitentiae est in retrahendo a malo. Nec propter hoc sequitur quod non sit virtus. » — Hæc ille. — Item, ibidem, in solutione quinti, sic dicit: « Pœnitentia respicit turpe in preterito, cui potest succedere perfectio in praesenti. Et ideo non est actus imperfecti de necessitate. » Item, 3 p., q. 85, art. 1, in solutione secundi, sic dicit: « Pœnitentia, secundum quod est passio, non est virtus. Est autem virtus, secundum quod habet electionem rectam ex parte voluntatis. Quod tamen magis potest dici de pœnitentia quam de verecundia: nam verecundia respicit turpe factum ut praesens, pœnitentia autem ut preteritum; est autem contra perfectionem virtutis, quod aliquis in praesenti habeat turpe factum, de quo oporteat eum verecundari; non est autem contra perfectionem virtutis, quod aliquis prius commiserit turpia facta, de quibus oporteat eum pœnitere, cum ex vitiioso fiat aliquis virtuosus. » — Hæc ille.

Cum autem dicit arguens, quod aliquis potest fieri virtuosus qui nunquam fuit vitiosus; — dicitur quod hoc non valet. Tum quia virtus pœnitentiae simul infunditur cum gratia in baptismo; sed non potest exire in actu, nisi precedente aliquo peccato. Unde sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, ubi supra (dist. 44, q. 1), art. 3, q^{ta} 2, arguit sic, primo loco: « Pœnitere est mala commissa plangere. Sed innocentes nullum malum commiserunt. Ergo in eis non est pœnitentia. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum quod, quamvis non commiserint, possunt tamen committere; et ideo eis habitum pœnitentiae habere competit. Sed tamen

(2) *ad malum. a mala Pr.*

iste habitus non potest exire in actum, nisi forte respectu venialium peccatorum, quia peccata mortalia tollunt ipsum. Nec tamen est frustra, quia est perfectio potentiae naturalis. » — Hec ille. — Tum etiam quia non est inconveniens, aliquem habitum acquisitum ex actibus a malo retrahentibus, esse et dici virtutem, ut dictum est.

Ad tertium patet solutio per predicta. Conceditur enim quod principalis actus pœnitentiae est bonum facere, vel eligere; sed ista bona electio potest esse in retrahendo a malo, et detestando illud, eligendo talem detestationem tanquam recte rationi consonam, et in electione proportionando et taxando penam peccato commisso, et in placando Deum, et expurgando peccatum. Unde materia remota pœnitentiae, ut supra dictum est, est peccatum et malum, circu[m] quod potest esse multiplex bona electio; sicut temperantia facit rectam electionem circa turpissimas passiones, scilicet circa concupiscentias et delectationes tactus, ut ostendit *sanctus Thomas*, 2^a 2^e, q. 141, in octo articulis. Non oportet autem quod primus et principalis actus virtutis sit electio circa bonam materiam remotam, cum circa furtum et homicidium bene eligat ipsa justitia. Item, ut dictum est, aliud est de virtutibus retrahentibus a malo, et aliud de inclinantibus in bonum.

Quis autem sit actus pœnitentiae, et quos habeat communiter, ostendit *sanctus Thomas*, 3 p., q. 85, art. 5, dicens: « De pœnitentia possumus loqui duplicitate. Uno modo, quantum ad habitum; et sic immediate infunditur a Deo, sine nobis principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus per aliquos (2) actus. Alio modo possumus loqui de pœnitentia, quantum ad actus quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamus (6). Quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor, secundum illud *Thoren*, 5 (v. 21), *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur*; secundus actus est motus fidei; tertius actus est motus timoris servilis, quo quis, timore suppliciorum, a peccatis retrahitur; quartus est motus spei, quo quis, sub spe venie consequenda, assumit propositum emendandi; quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum secundum se displicet, et non jam propter ipsa supplicia; sextus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei, aliquis emendam Deo voluntarius offert. Sic ergo patet quod actus pœnitentiae a timore servili procedit, sicut a primo motu affectus ad hoc ordinati; a timore autem filiali, sicut ab immmediato et proximo principio. » — Hec ille. — Item, sequenti articulo: « In virtutibus, inquit, non attenditur ordo temporis quantum ad habitus; quia, cum virtutes sint connexae, omnes simul incipiunt esse in anima.

Sed dicitur una earum esse prior alia ordine nature, qui consideratur ex ordine actuum, secundum quod actus unius virtutis presupponit actum alterius virtutis. Secundum hoc ergo dicendum est quod actus quidam laudabiles etiam tempore praecedere possunt actum et habitum pœnitentiae; sicut actus fidei et spei informis, et actus timoris servilis. Actus autem et habitus charitatis simul sunt tempore cum habitu et actu pœnitentiae, et cum habitibus aliarum virtutum: nam, in justificatione impii, simul est motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei per charitatem formatus, et motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus pœnitentiae. Horum tamen duorum actuum primus naturaliter precedit secundum: nam actus pœnitentiae virtutis est contra peccatum ex amore Dei; unde primus actus est causa et ratio secundi. » — Hec ille. — Similia dicit, 4. *Sentent.*, ubi supra (dist. 14, q. 1), art. 2, in solutione prime et secundae quæstiunculae: Unde, in solutione quinti argumenti secundae quæstiunculae, dicit quod motus pœnitentiae quandoque provenit ex electione boni, quandoque ex fuga mali. Et, in eodem articulo, saepe dicit quod pœnitentia ordinatur ad recessum a malo, et omnes aliae virtutes ad consecutionem boni. Ex quibus omnibus patet quod sufficit ad primum et principalem actum virtutis quod sit electio boni, vel quod ipsum concomitetur electio boni. Sic autem est de actu pœnitentiae, quem concomitatur amor Dei.

Ad quartum dicitur quod pœnitentia est virtus moralis. Et ad improbationem hujus, dicitur quod nulla virtus moralis mere habet pro objecto, vel fine proximo, vel pro circumstantia informantia; aliquid exceedens dictamen rationis naturalis; et hoc ex seipsa. Potest tamen talia habere ex concurso vel imperio virtutum theologicarum. Item, licet illa propositio haberet verum, loquendo de virtutibus moralibus acquisitis, non tamen loquendo de infusione. Et de hoc *sanctus Thomas*, 4. *Sentent.*, ubi supra (dist. 14, q. 1), art. 4, q^{ta} 4, in solutione secundi, sic dicit: « Virtutes infuse tripliiter se habent ad Deum. Quadam enim habent Deum pro objecto et fine, sicut theologie. Quaedam vero non pro objecto in quod transeat actus, sed pro fine proximo; sicut patet de latria, que alias servitutis protestationes quasi materiam habet, quas immediate ordinat in Deum quasi in finem. Et tales virtutes propinquissimae sunt theologieis. Unde et actus harum virtutum attribuuntur theologieis, sicut proxime imperantibus. Unde ab Augustino (*Enchir.*, cap. 3) dicitur quod *fide*, *spe*, *charitate colitur Deus*. Quaedam autem non habent Deum pro objecto, neque pro fine proximo, sed ultimo: sicut temperantia, que habet passiones pro materia, et quietem animi pro fine proximo; sed hanc ultius ordinat ad Deum. Pœnitentia autem, quamvis non habeat Deum pro objecto, habet tamen

(2) *aliquos*. — *alios* Pe.

(3) *cooperamus*. — *cooperantur* Pr.

Deum pro fine proximo; quia ad hoc in peccata commissa destruenda movetur, ut Deo reconcilietur. Et ideo actus ejus, scilicet peccatum expellere, vel justificare, quandoque fidei, quandoque charitati ascribitur. » — Hac ille.

Ad quintum dicitur quod solum probat quod pœnitentia pertinet ad justitiam; non quidem quod sit ipsa virtus justitiae simpliciter dicta, que est inter æquales, et reddit æquale ex debito; quia non sic potest homo reddere Deo æquale. Sed pertinet ad justitiam quasi pars potentialis, vel pars subjectiva justitiae communiter et secundum quid dicta. Non enim qualibet virtus que ordinat hominem ad alterum in ratione debiti (²³), est justitia proprie dicta, ut ostendit sanctus Thomas, 2^a 2^a, q. 80, art. 1, ubi sic dicit: « In virtutibus que alicui principali adjunguntur, duo sunt consideranda: primo quidem, quod virtutes ille in aliquo cum virtute principali convenient; secundo, quod in aliquo deficiant a perfecta ratione ipsius. Quia vero justitia ad alterum est, omnes (²⁴) virtutes que ad alterum sunt, possunt, ratione convenientiae, justitiae amicti. Ratio vero justitiae consistit in hoc quod alteri reddatur quod ei debetur secundum aequalitatem. Dupliciter ergo aliqua virtus ad alterum existens, a ratione justitiae deficit: uno quidem modo, in quantum deficit a ratione aequalis; alio modo, in quantum deficit a ratione debiti. Sunt enim quedam virtutes, que debitum quidem alteri reddunt, sed non possunt reddere æquale. Et primo quidem quidquid ab homine Deo redditur, debitum est; non tamen potest esse æquale, ut scilicet tantum homo ei reddat, quantum debet, secundum illud Psalmi 115 (v. 12): *Quid retribuam Domino pro omnibus que retribuit mihi?* Et, secundum hoc, adjungitur justitiae religio (²⁵), que, ut dicit Tullius (*de Invent.*, lib. 2), *superiori cvidam natura, quam divinam vocant, curam, vel cultum, cærimoniamque offert*, etc. » — Hac ille. — Et siend dicit ibi de religione et pietate et observantia, quod deficient a ratione justitiae, quia, licet reddant debitum, non tamen æquale; ita dicendum est de pœnitentia, ut superius patuit.

Et haec sufficiunt ad argumenta Durandi.

§ 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Aureoli. Ad argumenta Aureoli contra secundam conclusionem, dicitur primo, in generali, quod materia et objectum pœnitentiae virtutis potest dici non solum ipsa pena, immo ipsum peccatum commissum, pro quo infer-

tor pena. Quod enim objectum pœnitentiae sit peccatum, patet ex precedentibus. Et ulterius, quia principalis ejus actus est dolere et detestari; constat autem quod materia et objectum illius actus est peccatum; et, per consequens, est materia virtutis. Quod etiam pena possit dici objectum vel materia pœnitentiae, patet: quia ad pœnitentiam non solum pertinet detestari peccata, immo, ultra hoc, actus pœnitentiae est propositum emendandi et purgandi peccatum per penititium. Et sic utrumque, tam poena quam culpa, potest dici materia vel objectum pœnitentiae. De predictis sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 14, q. 1, art. 1, in solutione sextae questio[n]e, sic dicit: « Pœnitentia et vindicativa justitia circa idem aliquo modo sunt, scilicet circa punitionem offense. Sed in duobus differunt. Primo, quia vindicativa proprie est in judice penam infligente, quam reus quandoque invite sustinet; sed pœnitentia est in ipso reo, qui voluntarius penam sustinet pro culpa commissa. Secundo, quia vindicativa justitia respicit offenditum communiter; sed pœnitentiae virtus respicit offenditum Dei. Unde oportet quod pœnitentia consistat in emendatione offenditae voluntarie assumpta, et tali qualis Deo competit. Sicut autem hominibus, qui vident ea quae foris patent, fit offenditae recompensatio per aliqua exteriores; ita Deo, qui intuetur cor, oportet quod incipiat recompensatio fieri in ipso cordis affectu. Fit autem recompensatio exterius in duobus: primo, in hoc quod aliquis exterius penam subit pro offenditae quam fecit; secundo, in hoc quod cayet in futurum ne similis offenditae ab eo fiat. Et haec duo oportet quod homo in corde exhibeat per pœnitentiam: primo, dolorem cordis pro malis que fecit; secundo, propositum de cetero talia non committendi. Et haec duo diffinitio pœnitentiae contingit. Unde Magister, diffiniens pœnitentiam, aliquid ponit quasi genus, in hoc quod dicit quod *est virtus*; dolorem de peccatis, in hoc quod dicit, *qua mala commissa plangunt*; et propositum de futura emendatione, in hoc quod dicit, *cum emendationis proposito*. » — Hac ille. — Ex quibus patet quod actus completus pœnitentiae duo objecta respicit: scilicet culpam de qua dolet, et penam quam assumit. Utrum autem eodem suphei actu dolet de peccato et eligat penam et emendam, aut sint duo actus, non refert ad propositum; sed videatur quod sit idem actus, habens duo objecta ordinem inter se habentia, ut finis et id quod est ad finem, aut aliquo modo ordinata. Item, ibidem, in solutione secundi argumenti, sic dicit: « Illud quod pertinet ad corporalem immutationem, non pertinet ad virtutem quasi essentialis actus ejus; sed potest pertinere ad virtutem, sicut materiale circa quod operatur, quia etiam passiones corporales sunt virtutum materia. Et, secundum hoc, dicendum quod ipsius virtutis pœnitentiae sensibilis

(23) *debiti.* — *debiti* Pr.

(24) *autem.* — *Ad. Pr.*

(25) *religio.* — *religion* Pr.

dolor, vel corporalis fletus, potest esse quoddam materiae, in quantum hoc reddit Deo pœnitens, quasi debitum pro offensa commissa. Et ideo, si per planetum significatur actus pœnitentiae, tunc nihil aliud dicit quam detestationem; si autem dicatur materiae pœnitentiae, sic potest etiam sensibilem vel corporalem fletum dicere. » — Hæc ille.

Dicitur secundo, quod primum argumentum magis est ad oppositum quam ad propositum: quia justitia punitiva, et generaliter justitia commutativa, non solum habet pro materia pœnam, immo culpam, cui reddit æqualem pœnam. De hoc sanctus Thomas, 2^a 2^e, q. 61, art 3, ubi sic querit: Utrum eadem sit materia justitiae distributivæ et commutativæ? Sic dicit: « Justitia est circa quasdam operationes exteriore, scilicet distributionem et commutationem. Quæ quidem sunt (2) usus quorundam exteriorum, vel rerum, vel personarum, vel etiam operum: rerum quidem, sicut cum aliquis afferet vel restituit alteri rem suam; personarum autem, cum aliquis in ipsum personam hominis injuriam facit, puta percutiendo vel conviciando, aut etiam cum irreverentiam exhibet; operum autem, sicut (6) cum quis ab alio juste exigit, vel reddit aliquid opus. Si ergo accipiamus ut materiam utriusque justitiae ea quorum operationes sunt usus, eadem est materia commutativa et distributiva justitiae: nam et res distribui possunt a communii in singulos, et commutari de uno in alium; et est etiam quedam distributio laboriosorum operum, et recompensatio. Si autem accipiamus ut materiam utriusque justitiae actiones ipsas principales, quibus utimur rebus et personis et operibus, sic invenitur utrobius alia materia: nam distributiva justitia est directiva distributionis; commutativa vero justitia est directiva commutationum, quæ attendi possunt inter duas personas. Quarum quedam sunt involuntariae, quedam voluntariae: involuntaria quidem, quando aliquis re alterius utilitur, vel persona, vel opere, eo invito; quod quidem quandoque contingit occulte per fraudem, quandoque manifeste per violenciam, etc. » — Et postea, enumeratis commutationibus, tam voluntariis quam involuntariis, concludit, dicens: « In hujusmodi autem actionibus, sive voluntariis, sive involuntariis, eadem est ratio accipiendi medium, scilicet secundum æqualitatem recompensationis. Et ideo omnes istæ actiones ad unam speciem justitiae (7) pertinent, scilicet commutativam. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod justitia materia sunt non solum punitiones, imponit, homicidia, et aliae involuntariae et culpabiles commutations. Sicut ergo justitia punitiva respicit illa duo, sic pœnitentia respicit, tanquam materiam

vel objectum, tam culpam quam pœnam; sed differenter, quia culpam respicit ut materiam circa quam agit, pœnam vero ut id quod agit, et quasi proprium effectum; sicut et justitia punitiva vel commutativa differenter respicit justum et injustum. Unde argumentum non aliud concludit nisi quod peccatum non est objectum pœnitentiae ut operum ab ea; quia illo modo pœna est ejus objectum. Cum quo stat quod peccatum est objectum pœnitentiae, tanquam id circa quod operatur, et super quod cadit principalis actus pœnitentiae, scilicet detestatio et displicentia.

Ad secundum, negatur minor. Unde sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, ubi supra (dist. 14, q. 1), art. 1, q^a 4, in solutione quarti, sic dicit: « Medium (2) non eodem modo accipitur in justitia, et in aliis virtutibus moralibus. Accipiture enim justitia medium per adæquationem rei ad rem. Hæc autem adæquatio fit in justitia commutativa, quando ab eo qui habuit plus, aliquid subtrahitur; et ei qui minus habuit, additur. Ille autem qui alterum offendit, vel lesit, plus habuit; et qui Iesus est, habuit minus; in quantum huic subtractum est quod ei debebatur, et ille usus est propria voluntate in hoc quod non debuit. Et ideo vindicativa justitia ab eo qui offensam fecit, quantum habuit plus debito, tantum subtrahit ei, et dat illi qui est Iesus, dum ad honorem et in satisfactionem ejus alium punit. Sic ergo vindicativa justitia constituit medium in offensis, que sunt materia ejus: non quidem tenendo medium in offensis, ut quasdam recipiat, et quasdam abjiciat (sicut temperantia ponit medium in delectationibus); sed omni offensi proportionando pœnam debitam. Et similiter, pœnitentia pro quolibet peccato commisso pœnam infert sibi ipsi debitam; non autem ita quod aliquod peccatum dimittat, et aliquod retineat. (6) » — Hæc ille. — Ex quibus patet falsitas minoris argumenti, dicens quod pœnitentia non ponit medium in offensis aut peccatis. — Quod autem dicit de circumstantiis, etc., non valet: quia eodem modo pœnitentia ponit circumstantias circa peccatum, sicut ponit medium; quia scilicet pœnam circumstantiam et proportionatam peccatis adhibet.

Ad confirmationem, dicitur quod non est simile de pœnitentia et aliis virtutibus. Unde sanctus Thomas, ubi supra (4. *Sentent.*, dist 14, q. 1, art. 1), in solutione primi argumenti tertiae quæstiunculae, sic dicit: « Omnis virtus expellit peccatum oppositum formaliter, quantum ad suum actum primum, qui est informare subjectum. Sed actus secundus in aliis virtutibus, qui est operatio, non ordinatur principaliter ad repellendum peccatum, sicut est in pœnitentia. Et ideo pœnitentia non formaliter, sed

(2) quidem sunt. — sunt quidam Pr.

(6) sicut. — sunt Pr.

(7) justitiæ. — in justitiæ Pr.

(2) in justitia. — Ad. Pr.

(6) retineat. — abjiciat Pr.

quasi effective, peccatum expellit : habet enim peccatum expellendum pro materia, et operatur circa ipsum ut expellatur. » — Hoc ille. — Item, 3 p., q. 85, art. 2, in solutione secundi, sic dicit : « Poenitentia habet quidem realiter generalem materiam, in quantum respicit omnia peccata; sed (z) tamen sub ratione speciali, in quantum sunt emendabilia (6) per actum hominis cooperantis Deo ad suam justificationem. » Item, in solutione tertii, sic dicit : « Poenitentia expellit omne peccatum effective, in quantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex divina gratia, homine cooperante. » — Hoc ille. — Ex quibus omnibus patet quod poenitentia respicit pro materia et objecto illud quod ipsa destruit, licet habeat pro partiali objecto aliquid quod ipsa efficit, ut supra dictum fuit.

Ad tertium patet responsio ex solutione primi et secundi ; quia minor est neganda, scilicet quod justitia punitiva vel vindicativa non habeat offensam pro materia vel objecto.

II. Ad alia argumenta Aureoli. — Ad ea que secundo loco objicit contra conclusionem eundem, dicitur. Et ad primum quidem, dicitur primo, quod ad materiam sacramenti poenitentiae pertinent tres actus penitentis : scilicet contritio, confessio, et satisfactio. Et de hoc plura dicta sunt in principio hujus tertii articuli. Unde sanctus Thomas, 3 p., q. 90, art. 2, sic dicit : « Duplex est pars, ut habetur in 5. *Metaphysica* (t. c. 31) : scilicet pars essentiae, et pars quantitatis. Partes quidem essentiae sunt naturaliter materia et forma; logice autem genus et differentia. Hoc autem modo quoddlibet sacramentum dividitur in materiam et formam, sicut in partes essentiae. Unde sacramenta consistunt in rebus et verbis. Sed quia quantitas se tenet ex parte materie, partes quantitatis sunt partes materiae. Et hoc modo sacramento poenitentiae specialiter assignantur partes, quantum ad actus penitentis, qui sunt materia hujus sacramenti. Scilicet autem quod alio modo fit recompensatio offensae in poenitentia, et in justitia vindicativa. Nam, in vindicativa justitia, fit recompensatio secundum arbitrium judicis, non secundum voluntatem offendientis vel offensi; sed, in poenitentia, fit recompensatio offensae secundum voluntatem peccantis, et secundum arbitrium Dei, in quem peccatur; quia hic non queritur sola reintegratio aequalitatis justitiae, sicut in justitia vindicativa, sed magis reconciliatio amicitiae, quod fit dum offendens recompensat secundum voluntatem ejus quem offendit. Sic ergo requiritur ex parte penitentis : primo quidem, voluntas recompensandi, quod fit per contritionem;

(z) sed, — et Pr.

(6) emendabilia, — emendabilita Pr.

secundo, quod se subjiciat arbitrio sacerdotis loco Dei, quod fit in confessione; tertio, quod recompenset secundum arbitrium ministri Dei, quod fit in satisfactione. Et ideo contritio, confessio, satisfactio ponuntur partes poenitentiae. » — Hoc ille.

Dicitur secundo, quod antecedens, vel major argumenti est falsa ; quia sacramentum poenitentiae non est perfectum sacramentum, nisi penitens satisfaciat actu, vel proposito, per se, vel per alium. Nec valet illud quod adducitur de Papa : quia, dum Papa dat tales indulgentias, non tollit satisfactionem; sed satisfactionem et penitentias Sanctorum qui sunt in gloria, applicat taliter absolutis, sicut ostendit sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 20, q. 4, art. 3, in solutione prime questionis, et ibidem, in solutione secundi argumenti, ubi sic dicit : « Ille qui indulgentias suscipit, non absolvitur simpliciter loquendo a debito poene, sed datur sibi unde debitum solvat, etc. » De hoc alias (dist. 20).

Cum autem ultraius dicit quod tanta posset apparet contritio in poenitente, etc. : — dicitur quod, in tali casu, in poenitente esset satisfactio tripliciter : scilicet in proposito, et in signo, et in sui initio. Quod enim talis satisfaciat quoad propositum, patet ; aliter non esset contritus, nisi haberet propositum satisfaciendi et compensandi, et omnem penam sibi rationabiliter injungendam portandi. Quod autem haberet satisfactionem sicut in signo, patet ex dictis : ex quo enim confiteatur, subjicit se arbitrio sacerdotis, et significat se paratum satisfacere. Quod autem habeat satisfactionem sicut in sui initio, vel medio, patet : quia satisfactio incipit in contritione, et mediatur in confessione, et completur in exteriori pena. De hoc sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 16, q. 1, art. 1, in solutione tertiae questionis, ubi sic dicit : « Pena quam poenitens patitur, tota in ratione satisfactionis succedit. Non enim sola exteriori poenitentia homo satisfacit, sed etiam interiori; alias oratio mentalis non esset satisfactio. Unde et pena que est in contritione, et pena que est in confessione, in partem satisfactionis eadit. Et quia satisfactio est ultima pars, totum sacramentum a pena denominatur, sicut res denominatur ab ultimo sui. » — Hoc ille.

Ad secundum, negatur major. Nec valet probatio ; quia sanctus Thomas non dicit quod in materia cuiuslibet sacramenti sit aliqua virtus supernaturalis, ut patet, dist. 22, q. 2, art. 4, in solutione prime questionis, ubi sic dicit : « In sacramento poenitentiae, sacramentale signum non est aliqua materia exterius apposita, sed exteriores actus, quibus homo ad salutem suam cooperatur (z); et complementum operationis ab extrinseco significatur, per absolutionem sacerdotis; sicut materia, in aliis sacramentis, per ministri sanctificationem efficaciam

(z) cooperativus, — operatus Pr.

sacramentalē recipit. Et ideo pōnitentia exterior est sacramentalē signum in sacramento pōnitentiae. » — Hec ille. — Item, ibidem, in solutione secundi, sic dicit : « Materia, quae est in aliis sacramentis signum sacramentalē, inquantum ab exteriori datur, representat exterius agens in sanctificatione; et ideo aliquo modo competit ut gratiam causet. Sed pōnitentia exterior, quae est signum sacramentalē in hoc sacramento, representat cooperationem recipientis, et non influentiam quae est ex parte agentis extrinseci. Et ideo non competit ei quod gratiam aliquo modo causet. » — Hec ille. — Item, ibidem, in solutione tertii, sic dicit : « Sacramentalibus signis, in aliis sacramentis, adhibetur forma verborum, ad eorum sanctificationem; quia gratiam continent et causant. Sed exterior pōnitentia non est signum gratiam causans. Et ideo non oportet quod sanctificetur per aliquam formam verborum. Sed verba quae a sacerdote absolvente proferruntur, immediate feruntur ad eum qui se subjicit sacramento. Unde ipse sanctificatur virtute absolutionis, et gratiam suscipit; non autem sanctificatur ejus confessio, ut ex ea gratiam accipiat, sicut erat in baptismo de sanctificatione aquae. » — Hec ille. — Item, ibidem, in solutione secundae questione, sic dicit : « Interior pōnitentia est res exterioris pōnitentiae, sed ut significata tantum per actus pōnitentis, ut significata autem et causata per eosdem actus adjuncta absolutione ministri, per quam aliquo modo ad gratiam disponitur: sicut etiam in sacramento Eucharistiae, corpus Christi verum, est res significata tantum per species panis et vini, sed causata per verba ministri; et illa duo conjuncta sunt simul signum et causa. » — Hec ille. — Ex quibus patet quod non est mens sancti Thomae, quod in quolibet sacramento novae legis materia sacramenti habeat virtutem supernaturaliter infusam, activam respectu dispositionis ad gratiam, sed solum in illis in quibus verba ministri diriguntur ad materiam sanctificandam. Item, sufficit quod materia sacramenti sit dispositio ad gratiam, licet non causet aliam dispositionem ex aliqua virtute sibi inhārente; sic autem est de ipsa contritione. — Ad impugnationem responsionis ibidem datæ, dicitur quod, licet satisfactio pōnitentialis, ut præcise concepta, vel in proposito volita, non sit signum sensibile, nec proprie materia sacramenti pōnitentiae; tamen, ut volita, et significata, et inchoata, et mediata, est signum sensibile; et, ut sic, potest esse materia sacramenti.

Ad tertium, negatur major: quia ejus opposita vera, scilicet quod in eodem instanti quo inchoatur hoc sacramentum in sui materia, puta in vera contritione, desinit morbus peccati quoad culpam. Et ideo nil mirum si, completa satisfactione, desinit morbus quoad pōnit reatum. Unde illud argumentum parum habet apparentie. Unde beatus Thomas,

3 p., q. 90, art. 2, in secundo loco, arguit sic : « In sacramentis novae legis confertur gratia. Sed in satisfactione non confertur aliqua gratia. Ergo satisfactio non est pars sacramenti. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod satisfactio, prout est in proposito, confert gratiam; et auget eam, prout est in executione; sicut baptismus in adultis. » — Hec ille. — Ex quibus patet nullitas argumenti: quia, si quid probaret, utique concluderet quod baptismus collatus contrito adulto non esset sacramentum; quod est falsum.

Ad illud quod ultimo adducitur, de contritione, dicitur quod, licet contritio in se non sit sensibilis, exterius, est tamen sensibilis in se ipsi contrito, ut supra dictum est. — Dicitur secundo, quod, licet contritio in se non sentiatur exterius ab aliis a contrito, potest tamen sentiri in suo signo et effectu, puta confessione et satisfactione. De hoc sanctus Thomas, 3 p., ubi supra (q. 90, art. 2). Arguit enim sic (arg. 1) : « Contritio est in corde; et sic pertinet ad interiorē pōnitentiam. Confessio autem est in ore, et satisfactio est in opere; et sic duo ultima pertinent ad exteriorē pōnitentiam. Pōnitentia autem interior non est sacramentum, sed sola pōnitentia exterior, quae sensui subiecta. Ergo contritio non est pars sacramenti pōnitentiae. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod contritio secundum essentiam quidem est in corde, et pertinet ad interiorē pōnitentiam; virtualiter autem pertinet ad pōnitentiam exteriorē, inquantum implicat propositum confitendi et satisfaciendi. » — Hec ille.

§ 3. — AD ARGUMENTA CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Scoti. — Ad primum Scoti contra tertiam conclusionem, dicitur primo, in generali, quod nusquam legi sanctum Thomam sensisse quod reatus derelictus ex actu peccati sit quid reale absolutum, puta habitus, aut dispositio de genere qualitatis; nec similiter quod sit respectus aut relatio realis. Nam sanctus Thomas, loquens de reatu, querit, 1^a 2^a, q. 87, art. 1: Utrum reatus poenae sit effectus peccati? Et, in responsione principali, sic dicit : « Ex rebus naturalibus ad res humanas derivatur ut illud quod contra aliud insurgit, ab eo detrimentum patiatur. Videmus enim in rebus naturalibus, quod unum contrarium vehementius agit, altero contrario superveniente; propter quod aquæ calefactæ magis congelantur, ut dicitur in 1. Meteor. (cap. De grandinibus generatione). Unde in hominibus hoc ex naturali inclinatione invenitur, ut unusquisque deprimat eum qui contra ipsum insurgit. Manifestum est autem quod quaecumque continentur sub aliquo ordine, sunt quodammodo unum in ordine ad principium ordinis.

Unde quidquid contra aliquem ordinem insurgit, consequens est ut ab ipso ordine et (z) principe ordinis deprimatur. Cum autem peccatum sit actus inordinatus, manifestum est quod quicunque peccat, contra aliquem ordinem agit; et ideo ab ipso ordine conveniens est ut deprimatur; que quidem depressio (6) poena est. Unde secundum tres ordines quibus subditur humana voluntas, triplici poena potest homo puniri. Primo quidem subditur humana natura ordini propriæ rationis; secundo, ordini exteriori, hominis gubernantis spiritualiter, vel temporaliter, politice, seu oeconomicæ; tertio, subditur universalis ordini divini regiminis. Quilibet autem horum ordinum per peccatum pervertitur, dum ille qui peccat, agit et contra rationem, et contra legem humanam, et contra legem divinam. Unde triplicem poenam incurrit: unam quidem a seipso, quæ est conscientie remorsus; aliam vero ab homine; tertiam vero a Deo. » — Haec ille. — Item, eadem quaestione, art. 6, querit: Utrum reatus poenae renaneat post peccatum? Et respondet sic: « In peccato duo possunt considerari: scilicet actus culpe, et macula sequens. Plenum est autem quod, cessante actu peccati, remanet reatus in omnibus peccatis actualibus. Actus enim peccati facit hominem reum poenæ, inquantum transgreditur ordinem divine justitiae; ad quem non redit nisi per quamdam recompensationem poenæ, que ad aequalitatem justitiae reducit; ut scilicet qui plus voluntati sue indulxit quam debuit, contra mandatum Dei agens, secundum ordinem divine justitiae, aliquid contra id quod vellet simpliciter, spontaneus vel (7) invitus patiatur. Quod etiam in injuriis hominibus factis observatur, ut per recompensationem reintegretur aequalitas justitiae. Unde palet quod, cessante actu peccati vel injuria illata, adhuc remanet debitum poenæ. Sed, si loquamur de ablitione peccati quoad maculam, sic manifestum est quod macula peccati ab anima transferri non potest, nisi per hoc quod anima Deo conjungitur, per cuius distantiam detrimentum proprii nitoris incurrebat, quod est macula. Conjungitur autem homo Deo per voluntatem. Unde macula peccati tolli non potest, nisi voluntas hominis ordinem divine justitiae acceptet, ut scilicet vel ipse poenam sibi spontaneus assumat in recompensationem culpe preterite, vel etiam a Deo illatam patienter suscipiat: utroque enim modo poena rationem satisfactionis habet. Poena autem satisfactoria diminuit aliquid de ratione poenæ. Est enim de ratione poenæ quod sit contra voluntatem. Poena autem satisfactoria, etsi secundum absolutam considerationem sit contra voluntatem, non tamen ut hic et nunc; et, per hoc, est

(a) et. — a Pr.

(6) *depressio*, — *repressio* Pr.(7) *simpliciter*, *spontaneus* vel. — *similiter* *spontaneus* Pr.

voluntaria. Unde simpliciter est voluntaria, secundum quid autem involuntaria. Dicendum est ergo quod, remota macula culpe, potest quidem renanere reatus poenæ, non simpliciter, sed poenæ satisfactorie. » — Haec ille. — Item, 2. *Sentent.*, dist. 42, q. 1, art. 2, sic dicit: « Reatus dicitur secundum quod alius est reus poenæ. Et ideo proprius reatus nihil aliud est quam obligatio ad penam. Et quia haec obligatio quoddammodo est media inter culpam et penam, ex eo quod propter culpam aliquis ad penam obligatur; ideo nomen medii transmittitur ad extrema, ut interdum ipsa culpa, vel etiam pena, reatus dicatur. Cum autem pena sit medicina quedam, ut dicit Philosophus in 2. *Ethicorum* (cap. 3), medicina verbè non est nisi contra aliquem defectum, oportet quod ad penam pro aliquo defectu obligetur: non quod ille defectus semper sanetur per penam in eo in quo est, ut palet in damnatis, et in fure qui suspenditur; sed pena recompensat defectum in statu universi, vel etiam reipublicæ, propter ordinem justitiae qui in pena apparet. Non autem defectus quilibet ad penam obligat: sunt enim defectus quidam involuntarii, magis misericordiam quam iram provocantes. Sed illi soli defectus qui ex actibus voluntariis relinquuntur, penam merentur in eo qui voluntarie in defectum inducitur (z). Unde, cum, transeunte actu, defectus remaneat, oportet etiam quod reatus renaneat post actuum. » — Haec ille. — Item, ibidem, in solutione tertii, sic dicit: « Reatus non fundatur, per se loquendo, supra dispositionem vel habitum, sed per accidens, secundum quod talis dispositio vel habitus eidam defectui conjungitur. » Item, in solutione quinti, sic dicit: « In peccante sunt duq defectus: unus, qui est in ipso actu peccati, secundum quod aliquis limites legis divinae et recte rationis transgreditur; alius est in ipso peccante; privatio virtutis ex priori defectu actus inducta. Quamvis autem cum aliquis gratiam recuperat, secundus defectus tollatur, non tamen ex toto primus sublatus est: quia oportet ut quantum voluntati sue obediens praeter legem Dei, tantum in contrarium recompensem, ut sic iustitiae servetur aequalitas; et ideo post gratiam recuperatam injungitur satisfactio, et est homo adhuc reus temporalis poenæ. » — Haec ille. — Item, in solutione primi, sic dicit: « Causa proxima reatus est ipse defectus per actum peccati inductus; actus vero est sicut causa remota. Unde non oportet quod, transeunte actu, reatus transeat. » Item, in solutione secundi, sic dicit: « Non solum quia verum est dicere aliquem actum peccati quandoque egisse, ad penam obligatur (quia sic quandocunque verum esset dicere eum hoc fecisse, esset poenæ obnoxius); sed

(z) qui voluntarie in defectum inducitur, — quod voluntarie defectum inducunt Pr.

quia defectus manet in ipso adhuc propter actum quem prius fecit. » — Hec ille. — Ex quibus patet quod, secundum eum, reatus non est quid reale absolutum, per modum habitus aut dispositionis. Nec est relatio realis : cum proximum ejus fundatum, et causa, sit negatio, vel privatio, seu defectus ex peccato derelictus, et non actus, nec habitus aut dispositio; defectus autem, vel negatio, non potest fundare respectum realem. Est ergo respectus rationis: puta obligatio ad poenam, propter defectum voluntarium, puta transgressionem ordinis divinae legis, aut humane, vel recte rationis, ut supra dictum est. Et talis respectus potest consequi actum intellectus creati, vel increati.

Dicitur secundo, quod argumenta Scotti contra istum sensum non procedunt. Non quidem primum. Conceditur enim quod iste respectus est extrinsecus adveniens, et habet pro causa remota actum peccandi. Nec valet hujus improbatio: quia eadem actio est ad velle inordinatum per se primo, et ad defectum et reatum per accidens, vel consecutive et secundario. Nec valet quod dicitur de divina actione. Dato enim quod ille respectus consequatur actum divini intellectus ordinantis animam quae peccavit ad poenam, ex hoc non sequitur, sicut insertarguebatur, quod anima sit peccatrix formaliter precise per illum quod est a divina actione; tum quia ille respectus consequitur actum peccati, et actionem inordinatam creature, et non solum divinum agere; tum quia anima non dicitur formaliter peccatrix precise per illum respectum, sed per actum peccati praeteritum, qui fuit causa hujus respectus, nec iste respectus aut obligatio est peccatum, sed effectus peccati. Unde sanctus Thomas, *de Malo*, q. 2, art. 2, arguit sic, in decimoquarto loco: « Augustinus dicit (*de Nupt. et concup.*, lib. 4, cap. 26) quod peccatum transit actu, et manet reatu. Hoc autem non esset, si ipse actus exterior esset peccatum. Ergo ipse actus exterior non est peccatum. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Reatus, inquit, id est, obligatio ad poenam, est quidam effectus consequens ad peccatum. Unde, cum dicitur quod peccatum transit actu et manet reatu, idem est ac si diceret quod transit per suam essentiam et manet in suo effectu. » — Hec ille.

Ad secundum, negatur antecedens. Quia, ut statim dictum est, illa obligatio non solum causatur a Deo, sed a creatura, per actum suum inordinatum: a Deo siquidem est quod omnis legem transgrediens obligetur ad poenam; quod autem iste transgrediatur legem, non est a Deo, sed a voluntate propria; et ita istum obligari ad poenam est a Deo sicut a causa primaria et universalis, sed a propria voluntate sicut a causa proxima et propria. Quod si quis dicat: iste respectus, cum sit rationis, est effective per actum intellectus; sed non intellectus creati, qui forte talem respectum non considerat;

ergo est solum per actum intellectus divini, et ita est a solo Deo effective; — dicitur quod ille respectus est potentialiter, aptitudinaliter et exigitive ex parte peccantis, sed complective est per intellectum qui intelligit peccantem in ordine ad penam, eo modo quo natura rei exigit, supposita lege divina, vel humana, vel recte ratione.

Dicitur ulterius, quod similitudo quam ponit Magister, bona est. Nec valet quod contra eam inducitur. Non quidem primum: quia macula anime, post peccatum remanens, non solum dicit carentiam habitualis gratiae, nec solum dicit carentiam rectitudinis in actu; sed dicit utrumque, scilicet carentiam habitualis gratiae causatam ex carentia rectitudinis in actu vel ex actu inordinato. Unde sanctus Thomas, *4. Sent.*, dist. 48, q. 4, art. 2, in solutione primae quaestione, sic dicit: « Ex hoc aliquid maculatum dicitur, quia debite pulchritudinis patitur detrimentum. Unde macula, secundum quod huiusmodi, non habet quod aliquid ponat. Sed per comparationem ad id quod pulchritudinis causal detrimentum, aliquod quandoque ponere dicitur; sicut aliud in facie inductum, quod candorem faciei tegit aut privat. Pulchritudo autem anime consistit in assimilatione ipsius ad Deum, ad quem formari debet per claritatem gratiae ab eo suscepitam. Sicut autem perceptio claritatis corporalis a sole prohibetur a nobis per aliquod obstaculum interpositum; ita etiam claritas gratiae prohibetur ab anima per peccatum commissum, quod dividit inter nos et Deum, ut dicitur, *Isaiae*, cap. 59 (v. 2). Unde ipsa macula, quantum in se est, non ponit de essentia sua nisi privationem gratiae; sed ponit ut causam obstaculum peccati, quod obstat ad gratiae receptionem; et propter hoc etiam macula dicitur tenebra, ratione predicte similitudinis. » — Hec ille. — Item, ibidem, in solutione primi argumenti, sic dicit: « Quamvis quoad ipsam privationem gratiae non differant maculae peccatorum, differunt tamen quantum ad causam ex qua macula consequitur; et, secundum hoc, etiam quolibet peccatum unam maculam addit, inquantum novum obstaculum gratiae ponit. » — Hec ille. — Item, 2. *Sentent.*, dist. 42, q. 4, art. 2, in solutione quarti, sic dicit: « Privatio gratiae non habet rationem maculae nisi secundum quod ex actu precedente inducitur. Et ideo, secundum diversitatem actuum, sunt etiam diverse maculae. Quamvis enim quolibet actu mortalis peccati quilibet virtus privetur, non tamen eodem modo; sed actu luxurie castitas per se privatur, et aliae virtutes ex consequenti, secundum quod sunt castitati annexae; per furtum autem privatur per se justitia, et aliae virtutes ex consequenti; et sic de aliis. Et ideo non oportet quod omnium peccatorum sit una macula, vel unus reatus. » — Hec ille. — Item, 1^a 2^a, q. 86, art. 4, sic dicit: « Macula proprie dicitur in corporalibus, quando-

aliquid corpus nitidum perdit suum nitorem ex contactu alterius corporis, sicut vestis et aurum et argentum, aut aliud hujusmodi. In rebus autem spiritualibus ad similitudinem hujus oportet maculam dici. Habet autem anima hominis duplicitem nitorem: unum quidem ex resplendentia luminis naturalis rationis, per quam dirigitur in suis actibus; alium vero ex resplendentia luminis divini, scilicet sapientiae et gratiae, per quam homo perficitur ad bene et decenter agendum. Est autem quasi quidam animae factus, quando inheret aliquibus per amorem. Cum autem peccat, adhaeret rebus aliquibus contra lumen rationis et divine legis. Unde ipsum detrimentum nitoris ex tali contactu proveniens, macula animae metaphorice vocatur. » Item, ibidem, in solutione tertii, sic dicit: « Macula non est aliquid positive in anima; nec significat privationem solam (α); sed significat privationem quoddam nitoris anime in ordine ad suam causam, que est peccatum. Et ideo diversa peccata diversas maculas inducunt. » — Haec ille. — Ex quibus patet quod macula non solum dicit privationem gratiae, nec solum carentiam rectitudinis in actu, ut putat arguens; sed importat privationem gratiae causatam ex inordinato actu.

Cum autem dicit arguens, quod carentia rectitudinis in actu non est nata manere, etc., — non valet: quia privatio existens subjective in actu, licet non sit nata manere, non manente actu; tamen transgressio ordinis divinae justitiae, et inequalitas ex actu inducta, manet, cessante actu; nec tollitur nisi facta quadam recompensatione, ut supra dictum est (in solut. primi).

Cum autem ulterius dicit, quod macula summi odii A, et summus amor, etc., — non valet. Unde hoc argumentum solvit quasi in forma sanctus Thomas, 4^a 2^o, q. 443, art. 2, ubi arguit sic, tertio loco: « Nullus subjicitur simul duobus contrariis. Sed quedam peccata sunt contraria, ut prodigalitas et illiberalitas. Ergo qui subjicitur peccato prodigalitatis, non simul subjicitur peccato illiberalitatis. Potest tamen contingere quod prius ei subjiciebatur. Ergo peccando vitio prodigalitatis, liberatur a peccato illiberalitatis; et sic remittitur aliquod peccatum sine gratia. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod, sicut dicit Augustinus in libro *de Nuptiis et concupiscente*. (lib. 4, cap. 26), si a peccato desistere, hoc esset non habere peccatum, sufficeret ut hoc moneret (ε) Scriptura: « Fili, peccasti, non adjicias iterum (*Eeci. 21, v. 4*). » Non autem hoc sufficit, sed additur: « Sed de pristinis deprecare, ut remittantur; » transit enim peccatum actu, et remanet reatus. Et ideo, cum aliquis a peccato unius vitii

transit in peccatum contrarii vitii, desinit quidem habere actuum preferiti; sed non desinit habere reatum. Unde simul habebit reatum utriusque peccati. Non enim peccata sunt contraria ex parte aversionis a Deo, ex qua parte peccatum habet reatum. » — Haec ille. — Et sicut dicit de reatu, ita dicendum est de macula.

Ad tertium principale conceditur quod macula, vel reatus, non est aliquid positivum reale ex peccato derelictum. Unde beatus Thomas, 4^a 2^o, q. 86, art. 1, arguit sic, tertio loco: « Si peccatum maculam causal, aut illa macula est aliquid positive, aut est privatio pura. Si sit aliquid positive, non potest esse nisi dispositio vel habitus: nihil enim aliud videtur ex actu causari. Sed dispositio vel habitus non est: contingit enim, remota dispositione vel habitu, adhuc remanere maculam; ut patet in eo qui mortaliter peccavit prodigalitate, et postea transmutatur, mortaliter peccando, in habitum vitii oppositi. Non ergo macula ponit aliquid positive in anima, etc. » Et idem argumentum facit, 4. *Sentent.*, dist. 18, q. 1, art. 2 (q^a 1, arg. Sed contra). Cum quibus tamen stat quod macula est privatio, de qua supra (ad secundum) dictum est; et quod reatus est obligatio supradicta, que, licet non sit respectus realis, est tamen respectus rationis, ut postea (ad quintum) dicetur. Per quid autem dicitur quis peccator, cessante actu peccati, supra (ad primum) dictum est. Falsum autem est quod dicit arguens, quod scilicet, cessante actu peccati, non remaneat alius respectus rationis nisi qui consequitur actu divini intellectus aut divine voluntatis, puta respectus ordinati et praevisi, etc.: nam, sicut patet ex predictis, transeunte actu peccati, remanet respectus inequalitatis, et obligationis, et debiti, et indignitatis, et meriti, cum multis aliis.

Ad quartum patet ex predictis. Primo namque falsum concludit, quod ex peccato non relinquatur reatus nisi per actu divini intellectus aut voluntatis. Sicut enim supra (ad primum) dictum est, secundum triplicem ordinem relinquitur triplex reatus; et sic dictus respectus non solum insurget ex actu divini intellectus, verum etiam ex actu intellectus ipsius peccantis, vel sui principis aut superioris. Rursus, quilibet illorum reatum non solum insurget ex parte intellectus, immo principaliter ex parte objecti. Indignitas enim et (z) deformitas actus et agentis, talis respectum et reatum ex natura rei fundat, suppositis (ε) superiori lege et ordine ac omnibus illis (γ) que tali actu violantur, ut supra dictum est; alias, si talis reatus praecise ex actu divini intellectus vel voluntatis inesset, et nullo modo ex parte objecti exigitive, non magis ex natura

(z) et. — Om. Pr.

(ε) suppositis. — supposita Pr.

(γ) omnibus illis. — illa Pr.

(2) a verbo *nec usque ad solam*, om. Pr.

(ε) *hoc moneret*, — *hominem moneret et Pr.*

rei reus esset adulter quam Dei dilector super omnia; quod est falsum.

Ad quintum, negatur minor. Dicitur enim quod sicut in peccatore, post actum peccati, remanet reatus pœnae, qui non solum provenit ex parte intellectus, verum etiam ex parte objecti, supposita superiori lege et regula; sic, per oppositum, dicitur quod in eo qui legem servat, et merita multiplicat, est respectus meriti et debiti, et congrui vel digni, in ordine ad premium, qui non solum insurgit ex parte divini intellectus aut voluntatis, verum etiam ex parte objecti, ex natura actus et agentis, presupposita divina promissione. Conceditur tamen quod uterque respectus est rationis, et non realis. Cujus ratio assignata est superius (ad primum). Et, praeter illam, potest alia assignari: quia nullus respectus entis ad non ens est realis; sed sic est de utroque istorum; quia terminus utriusque est quid futurum, nondum actu existens, scilicet pœna vel premium, loquendo de pœnia alterius saeculi, et similiter de gloria. Quod autem quilibet talis respectus sit rationis, et non realis, ostendit sanctus Thomas, *de Potentia Dei*, q. 7, art. 11, ubi sic dicit: « Sicut realis relatio consistit in ordine rei ad rem, ita relatio rationis consistit in ordine intellectuum. Quod quidem potest dupliciter contingere. Uno modo, secundum quod iste ordo est adinventus per intellectum, et attributus ei quod relative dicitur. Et hujusmodi sunt relationes quae attribuuntur ab intellectu rebus intellectis, prout sunt intellectus, sicut relatio generis et speciei: has enim relationes ratio adinvenit, considerans ordinem ejus quod est in intellectu, ad res quae sunt extra, vel etiam ordinem intellectum ad invicem. Alio modo, secundum quod hujusmodi relationes consequuntur modum intelligendi, videlicet quia intellectus intelligit aliquid in ordine ad aliud; licet illum ordinem intellectus non adinveniat, sed magis ex quadam necessitate consequatur modum intelligendi. Et hujusmodi relationes intellectus non attribuit ei quod est in intellectu, sed ei quod est in re. Et hoc quidem contingit secundum quod aliqua non habentia secundum se ordinem, ordinate intelliguntur; licet intellectus non intelligat ea habere ordinem, quia sic esset falsus. Ad hoc autem quod aliqua habeant ordinem, oportet quod utrumque sit ens, et utrumque distinctum (quia ejusdem ad seipsum non est ordo), et utrumque sit ordinabile ad aliud. Quandoque autem intellectus accipit aliqua duo ut entia, quorum alterum vel neutrum est ens; sicut cum accipit duo futura, vel unum præsens et aliud futurum, et intelligit unum cum ordine ad aliud, dicens alterum esse prius altero; unde sunt relationes rationis tantum, utpote modum intelligendi consequentes. Quandoque vero accipit unum ut duo, et intelligit ea cum quadam ordine; sicut cum dicitur aliquid esse idem sibiipsi; et sic talis relatio est

rationis tantum. Quandoque vero accipit aliqua duo ut ordinabilia ad invicem, inter ipsa non est ordo medius, immo alterum illorum est essentialiter ordo; sicut cum dicit relationem accidere subjecto; unde talis relatio relationis (*z*) ad quodcumque aliud, tantum rationis est. Quandoque vero accipit aliquid cum ordine, ut primum est terminus ordinis alterius ad ipsum, licet ipsum non ordinetur ad aliud; sicut cum accipit scibile ut terminum ordinis scientiae ad ipsum; et sic, cum quodam ordine ad scientiam, nomen scibilis relative significat; et est relatio rationis tantum. Et similiter aliqua nomina relativa Deo attribuit intellectus noster, in quantum accipit Deum ut terminum relationum creaturarum ad ipsum; unde hujusmodi relationes sunt rationis tantum. » — Haec ille. — Et sciendum quod tales relationes rationis quandoque habent realem causam in eo quod referuntur per eas. Unde sanctus Thomas, ibidem, in solutione tertii, sic dicit: « Sicut aliquid est idem realiter sibiipsi, et non solum secundum rationem, licet relatio sit secundum rationem tantum, propter hoc quod relationis causa est realis, scilicet unitas substantiae quam intellectus sub relatione intelligit; ita potestas coercendi subditos est in Deo realiter, quam intellectus intelligit in ordine ad subditos propter ordinem subditorum ad ipsum; et, propter hoc, dicitur Dominus realiter, licet relatio sit rationis tantum. Et eodem modo appareat quod Dominus esset, nullo intellectu existente. » — Haec iste. — Ex quibus appetit, primo, quod, cum reatus sit obligatio ad pœnam futuram, non potest esse respectus realis, sed rationis tantum; secundo, quod, hoc non obstante, peccator dicitur realiter reus et obligatus ad pœnam, quia in eo est causa realis talis respectus; tertio, quod talis respectus non solum dependet ab intellectu, immo a re. Et quod dictum est de reatu, intelligendum est de merito congrui vel digni.

Ad sextum dicitur primo, quod, in casu argumenti, in offendente principem, cessante actu, est aliquid novum, puta inegalitas opposita amicitiae et justitiae, et obligatio ad pœnam, quæ, licet sit respectus rationis, habet tamen realem causam in offendente, et est in ipso potentialiter et exigitive, licet actualitas respectus, qualis natus est habere, compleatur per intellectum. — Dicitur secundo, quod illa adaptatio quam facit arguens de macula et reatu et offensa, incompetens est. Tum quia macula dicit quid privativum. Tum quia ordinatio ad pœnam remanet in anima, cessante macula peccati, ut patet in contrito qui nondum plene satisfecit; et sic non sunt idem. Tum quia, sublata offensa, et recuperata amicitia Dei per infusionem gratiae gratum facientis, potest remanere aliquis reatus, ut

(*z*) *relationis. — rationis Pr.*

supra dictum fuit. Palsum est ergo quod idem respectus rationis sit reatus, et macula, et offensa; sed macula, sicut dictum est supra (ad secundum), est ipsa privatio luminis gratuiti vel naturalis, ex actu peccati derelicta; reatus vero est obligatio ad penam, et differt a macula sicut effectus a sua causa; offensa vero est inaequalitas quedam, que similiter est causa reatus. De predictis sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 14, q. 2, art. 1, in solutione primee questionis, sic dicit: « Offensa, in quantum hujusmodi, est inaequalitas quedam, qua unus alteri subtrahit quod debitum erat, etc. » In solutione vero sequentis questionis videtur dicere quod offensa sit violatio divinae amicitiae ex parte peccatorum. Dicit enim sic: « Peccator, per affectum peccati, amicitiam Dei violavit; ex quo amittit gratiam, et incurrit offensam, etc., » ut prius dictum fuit in tertia conclusione. Verum est quod, dist. 48, q. 1, art. 2, in solutione tertiae questionis, videtur dicere quod offensa sit quedam indignatio offensi ad offendentem. Et forte mens sua est quod offensa ex parte offendentis sit inaequalitas, sed ex parte offensi est indignatio. De hoc sanctus Thomas, *de Veritate*, q. 28, art. 2, sic dicit: « Offensa, que ex peccato sequitur, sine gratia aboleri non potest; sive accipiat offensa ex parte hominis, in quantum homo peccando Deum offendit; sive ex parte Dei, secundum quod a peccatore est offensus, secundum illud Psalmi (5, v. 7): *Odisti omnes qui operantur iniuriam*. Quicunque enim rem aliquam dignioram indigniori supponit, injuriam ei facit; et tanto amplius, quanto res est dignior. Quicunque autem (2) in re temporali finem sibi constituit (quod facil omnis mortaliter peccans), ex hoc ipso, quantum ad affectum suum, praeponit creaturam Creatori, diligens plus creaturam quam Creatorem; finis enim est quod maxime diligitur. Cum ergo in infinitum Deus creaturam excedit, erit contra Deum peccantis mortaliter infinita offensa, ex parte dignitatis ejus cui per peccatum quodammodo sit injuria, dum ipse Deus contemnitur, et ejus praeceptum. Unde ad hanc offensam abolendam non sufficiunt vires humanae, sed requiritur munus divinae gratiae. Ipse etiam Deus dicitur peccatori offensus, vel eum odire, non odio quod opponitur amori quo diligit omnia (sic enim nihil odit eorum que fecit, ut dicitur, *Sapient.* 41, v. 25), sed amori quo diligit sanctos, bona aeterna eis preparando. Hujus autem amoris effectus est donum gratiae gratum facientis. Unde offensa qua Deus homini offenditur, non removetur nisi per hoc quod gratiam dat. » — Haec ille. — Similia dicit, 4^a 2^a, q. 113, art. 2. — Quod autem macula et reatus non sint idem, ostendit, eadem dist. 48, q. 1, art. 2, q^a 3 (6), dicens: « In

peccato duo sunt: scilicet conversio ad bonum commutabile, et aversio ab incommutabili bono. Et, secundum hoc, duo sunt effectus peccati: unus est indignatio Dei ad nos, aversioni correspondens; alius est pena inordinatam conversionem ordinans. Et quia primum in peccato ex parte nostra est conversio; et quod est prius in generatione, est posterior in destructione; ideo ex parte Dei primo est reconciliatio illius ad nos, secundum est liberatio a debito poena. Sed pena est duplex: scilicet exterminans hostes, et talis pena in ipsa reconciliatione removetur; alia pena est que corrigit civem vel amicum, et debitum illius potest remanere reconciliatione jam facta. Et ideo simul cum peccatum remittitur quoad maculam, remittitur quoad penam aeternam, que est exterminans, sed non quoad penam temporalem, que est corrigens. » — Haec ille. — Item, ibidem, in solutione primi, sic dicit: « Sicut actus precedens fuit causa maculae, et tamen, transiente actu, non transit macula; ita actus, mediante macula, fuit causa debiti poenae. Et ideo non oportet quod, cessante macula, debitum poenae cesseret; quia, cessante primo effectu, non oportet quod cesseret secundus. » — Haec ille. — Item, 2. *Sentent.*, dist. 42, in expositione litterae sic dicit: « Macula est medium inter actum peccati et reatum, quasi effectus ipsius actus et fundamentum reatus. » — Haec ille. — Ex quibus patet quod macula, reatus et offensa non sunt idem respectus per essentiam, ut putat arguens.

II. Ad argumenta Aureoli. — *Ad primum* eorum que primo loco adducit Aureolus (2) contra eandem conclusionem, dicitur quod supponit duo falsa. Primum est, quod sanctus Thomas ponat hominem dici formaliter peccatorem, transiente actu peccati, precise per respectum qui dicitur reatus vel obligatio ad penam; hujus enim oppositum dictum est prius (ad primum Scotti). Secundum est, quod reatus sit respectus realis.

Ad secundum patet per idem. Cum enim talis respectus non sit realis, non oportet sibi assignare genus reale, proprie loquendo. Potest tamen reduci ad genus *ad aliquid*, cum habeat aliquam convenientiam cum relativis consequentibus *agere* vel *pati*, sicut meritum et demeritum, debitum, dignum, obligatum, et similia.

Ad tertium patet ex dictis; quia fundatur in falso. Non enim obligatio ad penam temporalem, vel aeternam, est id quo quis dicitur formaliter peccator; sed potius peccatum praesens, aut praeteritum, manens tamen in suo effectu, puta in inaequalitate (6), vel offensa, vel macula, aut alio simili.

Ad ea similiter que secundo loco inducit contra

(2) eorum que primo loco adducit Aureolus. — *Aureoli* Pr.

(6) q. 1, art. 2, q^a 3. — *ibidem* Pr.

(6) *inequalitate*. — *equalitate* Pr.

conclusionem, patet quod falsum supponunt. Non enim sanctus Thomas ponit quod aliquis dicatur formaliter peccator, transeunte actu peccati, per aliquam privationem actualis iustitiae vel gratiae in voluntate precise, nec similiter per talen privationem ut est derelicta ex actu peccati; sed, ut dictum est, ille qui peccatum commisit, transeunte actu peccati, nondum peccato remisso per gratiam aut gratiae sacramento, in illo intermedio dicitur formaliter peccator per peccatum praecedens aliquo modo manens in suo effectu derelicto ex parte conversionis vel aversionis. Nec oportet quod, si iste dicatur actu peccator, quod sit formaliter peccator per aliquid quod est actu presentis: quia non univoco dicitur quis peccator esse dum actu peccat, et dum cessat ab actu peccati, licet non a reatu; et ideo, propter talen analogiam hujus nominis *peccator*, et non univocationem, potest quis denominari peccator formaliter non solum a peccato presente, immo a peccato praeterito, dummodo aliqualiter maneat.

Ad illud quod tertio loco adducit, patet responsio. Tum quia falsum supponit, et false imponit. Tum quia prima consequentia argumenti non valet: quia non oportet quod macula sit habitus, aut habilitas, vel dispositio, nec aliquid positivum, absolutum aut relativum; sed quid sit, superius (ad argum. Scotti) dictum est sepius. Et ita patet quod argumenta contra conclusiones inducta non valet.

Ad argumentum contra questionem, respondet sanctus Thomas, 3 p., q. 86, art. 4, in solutione primi, ubi sic dicit: « Culpa mortalis utrumque habet, et aversionem a Deo, et conversionem ad bonum creatum. Sed aversio a Deo est ibi sicut formale; conversio autem ad bonum creatum, est ibi sicut materiale. Remoto autem formaliter cuiuslibet rei, tollitur res ipsa; sicut, remoto rationali, tollitur species humana. Et ideo ex hoc ipso dicitur culpa mortalis remitti, quod per gratiam tollitur aversio mentis a Deo simul cum reatu pene aeterna. Renanet tamen id quod est materiale, scilicet inordinata conversio ad bonum creatum, pro quo debetur reatus pene temporalis. » — Hae ille.

Et haec de questione dicta sufficient. De qua benedictus Deus: Amen.

QUESTIO II.

UTRUM POST PENITENTIAM RESURGAT HOMO IN AEQUALI VIRTUTE

ITERUM, circa quartamdecimam distinctionem, queritor: Utrum post penitentiam resurgat homo in aequali virtute.

Et arguitur quod sic. Dicit enim Apostolus, *Roman. 8* (v. 28): *Diligentibus Deum*

omnia cooperantur in bonum; ubi dicit Glossa Augustini (*de Corrept. et gratia*, cap. 9), quod *hoc a deo verum est, ut si qui eorum devient et exorbitent, hoc ipsum Deus faciet eis in bonum proficere*. Sed hoc non esset, si homo resurgeret in minori virtute. Ergo, etc.

In oppositum arguitur. Quia charitas proficiens, vel perfecta, major est quam charitas incipiens. Sed quandoque aliquis cedit a charitate proficiente, resurgit autem in charitate incipiente. Ergo resurgit homo quandoque in minori charitate et virtute.

In hac questione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutions.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: Quod per poenitentiam virtutes restituuntur.

Hanc ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 89, art. 1, ubi sic dicit: « Per penitentiam remittuntur peccata. Remissio autem peccatorum non potest esse nisi per infusionem gratiae. Unde relinquitur quod per penitentiam gratia homini infundatur. Ex gratia autem consequuntur omnes virtutes gratitiae, sicut ex essentia anime flunt omnes potentiae. Unde relinquitur quod per penitentiam omnes virtutes restituantur. » — Hae ille.

Eamdem ponit, presenti distinctione, q. 2, art. 2, dicens: « Gratia et virtutes in anima causantur ex influentia divini luminis. Quae quidem influentia impeditur per peccatum, quod animam a Deo avertit; sicut nubes, interposita inter nos et solem, radium ejus a nobis prohibet; unde dicitur, Isaiae 59 (v. 2): *Peccata nostra divisorum inter nos et Deum nostrum*. Et quia per penitentiam peccata dimittuntur, et in primo penitentie actu quantum ad offensam; ideo, sicut ventus auferens nubem, radium solis nobis restituit, ita penitentia, tanquam removens prohibens, gratiam gratum facientem et omnes virtutes nobis restituit. » — Hae ille.

Ex quibus potest formari talis ratio: Quidquid restituit gratiam gratum facientem, restituit virtutes. Sed penitentia est huiusmodi. Ergo, etc.

Secunda conclusio est quod poenitens non semper resurgit in aequali gratia vel virtute, immo quandoque in minori.

Hanc ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 89, art. 2, dicens: « Motus liberi arbitrii, qui est in justifica-